

ELOQUENTIÆ PRÆLUDIA.

ELOQUENTIÆ PRÆLUDIA,

SEU

COMPENDIUM EORUM,

Quibus institui, & exerceri solent, qui Literis Humanioribus dant operam, & Rhetoricæ initiantur:

Ex Aristotele, Tullio, Quintiliano, aliisque probatis Authoribus,

A P. D. DEMETRIO SUPENSIO
Cler. Regul. Barnabita
collectum.

Collegij PP. Doctrinæ Xpianæ Domus Romæ Stæ Mariæ in Mo

MEDIOLANI,

Typis Iosephi Pandulfi Malatestæ.
Superiorum permissu.
Anno 1720.

DON OCTAVIVS VICECOMES
Congregat. Cler. Reg. S. PAVLI
Præpositus Generalis.



CUm Librum, cui titulus eſt: ELOQVENTIÆ PRÆLVDIA, à P. D. Demetrio Supenſio Congregationis noſtræ Presbytero Profeſſo compoſitum, duo eiuſdem Congregationis noſtræ eruditi Viri, quibus id commiſimus, accurata lectione, & graui iudicio recognouerint: Nos, vt Typis mandetur, quantùm in nobis eſt, facultatem facimus. In quorum fidem has fieri, ſigilloque noſtro muniri iuſſimus. Dat. Mediolani in Collegio noſtro SS. Pauli, & Barnabæ die 17. Auguſti 1694.

D. OCTAVIVS VICECOMES
PRÆPOSITVS GENERALIS.

Nonis Martij MDCCXX.

REIMPRIMATVR

Fr. Ioseph Maria Felix Ferrarini Ord. Præd. Sacræ Theologiæ Magister, ac Commiss. S. Offitij Mediol.

Carolus Franciscus Curionus pro Eminentiss., & Reuerendiss. D. D. Card. Archiep.

Federicus Cesatus pro Excellentissimo Senatu.

A M-



AMPLISSIMO PATRI

D. OCTAVIO VICECOMITI

GENERALI PRÆPOSITO

Congregationis Cleric. Regul.
S. PAULI.

D. Demetrius Supensius
Felicitatem.



Loquentiæ Præludia quòd offeram Tibi, non molestè, (vt arbitror) feres AMPLISSIME

a 4 *PA-*

PATER. Licet enim non ſatis Tuo nomine digna viderentur Artis rudimenta, Tu tamen effeciſti, vt inſcribere auderem, ac Tua eſſe vellem, quæ Tu eſſe mea conſtare voluiſti. Prodire iam cœperat velut orphanus liber, aut patre natus incerto: eruditiſſimo quippe, & acutiſſimo ſæculo nunquam tentandam mihi cenſui communis iudicij aleam, editis maximè præceptis, quibus publicum agerem Profeſſorem. At cùm à me ſcripta exigerentur, quæ ſecus intra domeſticos receſſus contineri voluiſſem, nec poſtulantibus denegari, neque iam

emiſſa

emissa è manibus latere possent, optabam saltem latere Scriptorem; eo nimirum consilio, vt quidquid eueniret operi, ignoratus ipse ignoraret. Euicit, quod vna poterat, vis imperij Tui, vt me profiterer Authorem, palàmque ferrem quidquid Literatorum censura de mea tenuitate statueret. Parere itaque malui, quàm mihi sapere, priuatæque prudentiæ cautionem obsequij debito anteferre. Iam verò ita confirmat animum rectè facti conscientia, vt hoc vno putem mihi satis prospexisse: nam & prodire auspicijs Tuis maxima

est Scriptionis merces, ac Tibi placuisse votorum summa; nec alia maior mihi gloria quærenda est, quàm morem gerendi. Immò quæcunque de me alij suffragia ferant, iudicium mihi Tuum præ omnibus est; quod cum sanciat veneratione Religio, splendore illustret Generis gloria, grauissimo insuper calculo Doctrina confirmat. Nam quanuis altiora Te studia in Philosophicis, ac Theologicis Cathedris exercuerint, mites pariter amasti Musas, quarum amœnitate seueram eruditionem adornasti. Atque inde illa est vigil solertia, qua

fa-

faues ingenijs, & literarum omnium promoues incrementa: quin inter arduas regiminis curas in id etiam non exiguam partem consiliorum Tuorum impendis, vt quotquot à prima ætate ingenuis disciplinis addicuntur, Nostrorum opera erudiendi, quàm diligentissima cultura instituantur. Illorum itaque commodo comparata Præludia cum Tu probaueris, quid iam dubitem, Te non modo annuente, sed etiam iubente, vulgare? Neque est, cur reformidem, ne minus consona Dignitati Tuæ, parum æquis oculis respiciantur: qua enim humanita-

te excitasti Authorem, operi indulgebis; cum præsertim eo Tibi offeratur animo, cuius & nouisti sinceritatem, & deuinxisti meritis obseruantiam. Hanc non tantum iure Instituti nostri, at peculiaribus alijs præterea nominibus obstrictam dum his paginis testor, minimum maxima debentis tributum Præludijs adnumera. Vale.

Ex Collegio nostro S. Alexandri Mediolani Calendas Nouembris 1694.



AD



AD
LECTOREM.



Ntequam hiſcas, LECTOR Humaniſſime, tibi ſtatim occurro, nec vanus (vt opinor) tuæ mentis interpres. Illud vtique primùm à me quæres, quid afferam noui? Nec te pluribus moror. *Nouum titulum*, *nouum libellum*. Papæ, inquies, rem magnam præſtas! Quaſi verò non ſatis augeſcat in dies huiuſmodi chartacea ſupellex, magno Typographorum emolumento, nec minore tædio Lectorum, qui dum nouitatis illicio currunt ad paginas, è prælo recentes, antiquiora Diphtera inueniunt. Immò tu mihi gratiam debebis, quòd te non fefellerim *grandi promiſſor hiatu*, ſincera libelli fronte profeſſus, nec noua polliceri me, nec magna. Quid verò noui de anti-

quiſſi-

quiſſima dicendi Arte depromi poſſit, hac noſtra præſertim ætate, in quam tot veterum, ac recentiorum eruditiſſimæ lucubrationes, elaborata tot ſeculorum opera confluxere, vt iam copia laboret? At magnum eſt Eloquentiæ nomen, idque ipſum non mediocrem inijcit expectationem. Non tibi ſanè promiſi *Suadæ medullam*. Præludia exhibeo. Non veteranos in puluerem duco, ſed tirunculos in vmbratili palæſtra primis imbuo rudimentis, ac leuioribus quibuſdam velitationibus exerceo, quibus iuſto certamini præludant. Nec parui tamen momenti rem iſtam puto: ardua enim prima ſunt omnia; cætera ſtudio, vſuque molleſcunt: atque vbi adoleuit cum annis ingenium, vbi acceſſit parta lectione, aliarumque ope ſcientiarum eruditio, iam adeò alieno ductu non eget.

Eos igitur, qui recentes ad hæc ſtudia ſe conferunt, iuuare in animo eſt, primoſque ita præmonſtrare gradus; vt inde facilem inueniant ad maiora progreſſum. Ipſum Præludiorum nomen ſatis indicat, hæc eſſe ſcripta diſcentibus; illorum proinde vtilitatem, non acutioris, vberiorisque doctrinæ gloriam ſpectare, quàm longè impar non ambio, à tot ſummis Viris

oc-

occupatam. Sed audio monentem Horatium. (a)

Quidquid præcipies esto breuis, vt citò dicta
Percipiantque animi dociles, teneantque fideles.

Audio Quintilianum docentem, operosas, fusasque præceptiones non esse incipientibus proponendas, quibus (b) *breuiùs, ac simpliciùs tradi magis conuenit*; aut enim difficultate institutionis tam numerosæ, atque perplexæ deterreri solent, aut eo tempore, quo præcipuè alenda ingenia, atque indulgentia quadam nutrienda sunt, asperiorum tractatu rerum atteruntur: aut si hæc sola didicerint, satis se ad Eloquentiam instructos arbitrantur; aut ad certas quasdam dicendi leges alligati conatum omnem reformidant. Vnde existimant accidisse, vt qui diligentissimi Artium Scriptores extiterunt, ab Eloquentia longissimi fuerint. Via tamen opus est incipientibus, sed ea plana, & cùm ad ingrediendum, tum ad demonstrandum expedita.

Hanc itaque ostendendam quærentibus aggredior, non per longa diuerticula, sed per calles compendiarios;

a *De Arte Poet.*
b *In Proœmio lib. 8.*

rios; neque secutus partium Artis ordinem, at ab ijs exorsus, quibus primùm imbui solent Adolescentes, cùm Grammaticæ fines egressi transeunt ad Literarum Humaniorum classem. Ideo quanuis Elocutio in Rhetoricæ partibus tertium obtineat locum, pleraque tamen ad eam spectantia præmitto; veluti Tropos, & Figuras, & alia, quæ in prima Præludiorum Parte continentur; cùm ab his rudimentis gradatim fiat ascensus: vt qui Latinè iam, & emendatè loqui didicere, discant subinde ornatè loqui; tum Periodos texere, ac dilatare, suisque vincire nexibus; hinc Orationis fœcunditatem Amplificationibus alere; inde alijs huius generis exercitationibus, vt Descriptionibus, Narrationibus, Chrijs, Literisque conscribendis comparent styli facultatem. Altera Parte Compendiolum Artis Rhetoricæ complector, cui breues Tractatiunculas de Elogijs, Argutijs, & Impresijs adijcio; vt fusæ Orationi pressa, & acuta dicendi ratio succedat.

Cæterùm in Arte vetustissima nouitatem non quæro; quin vt sequentes tutiori tramite deducam, nota relego maiorum vestigia, longè abhorrens ab eorum consuetudine, qui

vt

(a) *Vt aliquid sui viderentur afferre ; etiam recta mutarunt*. Nihil igitur hìc nouum, præter modum, & commodum: eiusdem quippe Artis eadem omnino præcepta sunt, quanuis varia sit methodus.

Præceptis lucem afferunt Exempla, quorum vtilem imitaturis copiam sufficere volui, præsertim Figuris, & Locis; cùm hæc Eloquentiæ potiora esse arbitrer instrumenta. Exemplorum Authores probatissimos elegi. *Stultissimum quippe esse* Plinius me docuit, *ad imitandum non optima quæque proponere*. (b) Tullium plerunque præmitto; quid ni enim præcedat Oratorum Antistes? Alios deinde subijcio antiquioris æui, & notæ melioris. Quædam etiam affero ex recentiorum amœnitate selecta; ne me putes iratum sæculo nostro, cuius & ingenia veneror, & genio, quantùm liceat, sentio tribuendum: is enim demum sapere censetur, qui tempori seruit.

Aliqua insuper è Sacris Doctoribus excerpere placuit, qui Eloquentiæ laude claruere; ne quis hanc totam profanæ solum vetustati adscribat. Sanè qui Sanctorum Patrum, eorum maxi-

a *Quintil. lib.* 3. *cap.* 1.
b *Lib.* 1. *Epist.* 5.

maximè, quorum authoritatibus vtor, vt D. D. Hieronymi, & Ambrosij, opera peruoluerit, Ethnicæ facundiæ tumorem persæpe despiciet. Quanuis enim illi, ne rerum Sanctitatem læderet pompa verborum, stylum consultò compresserint, is tamen ita non potuit contineri, quin passim suas opes effuderit. Hoc de se ipso D. Hieronymus ingenuè fatetur. (a) *Multum in deijciendo sermone laborauimus; sed nescio quomodo etiam si aqua plena sit, tamen eundem odorem lagena seruat, quo dum rudis esset, imbuta est.*

Quòd autem à Poetis multa deprompserim, damnabit nemo, qui Aristotelem, Tullium, Quintilianum, præcipuos Magistros meos lectitarit; qui præterea nouerit, adstrictam numeris, & solutam Orationem plura ex his præceptis habere communia; iisdem ambas Figuris, iisdem Locis vti; atque ita simul ad vtranque Artem, Poeticam, & Oratoriam instrui Adolescentum ingenia. Neque audiendos opinor, qui studium Poesis, tanquam inutile, auersantur; qui scilicet vel parum propitias Musas habent, vel ignaui negligunt earum gra-

a *Tom.* 1. *Epist.* 21. *ad Paulum Concordiensem.*

gratiam; hinc socordiam suam tritâ sententia excusant. *Poetæ nascuntur, Oratores fiunt*. Immò si quis prorsus auerso natus est Apolline, hunc arbitratu meo, neque sat æquis oculis respiciet Suada, vel ægrè ad Orationis dignitatem attollet.

Nonnulla proprio stylo quandoque inserui; non quòd meliora hæc putem; sed quòd ad normam præsentium præceptionum facta proximiùs earum praxim aliquando discentibus ostendant, quibus illa non semper tam facilè patet in grauiorum Scriptorum exemplis. At neque totam credidi officinam alienis tantùm mercibus instruendam. Tuum erit ex omnibus magis profutura secernere. Exempla, quencumque Authorem habeant, ea esse volui, quæ simul prodesse moribus possent, certè neutiquam obesse.

Si fortè aliqua occurrent, quæ magis explanata desideres, illud respondebo, quod ad Trebatium Tullius de Topicis à se conscriptis. (a) *Sin tibi quædam videbuntur obscuriora, cogitare debebis, nullam artem literis, sine interprete, & sine aliqua exercitatione, percipi posse*. Quæ non satis explicat mutus in libro Magister, viua

a *Lib. 6. Epist. fam. 9.*

viua vox Præceptoris explicabit. Neque te insanus illorum abducat error, qui temerè damnant obscuritatis quidquid ipsi per ignauam inscitiam non intelligunt, nihilque purum, ac sincerum esse volunt, nisi quòd prostat in triuio.

Denique si plura, & maiora cupias, quàm quæ his breuibus Præludijs continentur, habes nostri P. D. Vincentij Galli Rhetorem, cæteraque eiusdem Opuscula, quibus iampridem Scholæ nostræ plurimum debent. Nec alij desunt clarissimi Artis Magistri, qui exactiorem doctrinam posteris reliquere. Illud tamen memineris. (a) *In omnibus ferè minùs præcepta valere, quàm experimenta*: adde postremò, (b) *nihil præcepta, atque artes valere, nisi adiuuante natura: quapropter ei, cui deerit ingenium, non magis hæc scripta sunt, quàm de agrorum cultu sterilibus terris*.

Interim scito Humanissime Lector, libellum hunc inuito prope parente nasci: nihil enim vnquam minùs cogitaueram, quàm vt ad scribenda præcepta me conferrem, quæ venirent sub oculos omnium; hæc præsertim

a *Quintil. lib. 2. cap. 5.*
b *Idem in Proœmio Instit.*

fertim properata, & inter alias curas veluti carptim collecta in priuatæ institutionis vſum: neque per me prodijſſent ex vmbris, niſi viciſſet eorum conſilium, & authoritas, qui publicæ vtilitati ſeruire poſſe cenſuere. Si tu hoc idem cenſes, non prorſus aſpernaberis operam meam; ſecùs bonam ſaltem mentem non improbabis, vt ſpero. Vale.



PARS



PARS PRIMA

Pro Claſſe

LITERARUM HUMANIORUM.

TRACTATUS
Primæ Partis.

D



DE STVDIO ELOCVTIONIS,

Quod Eloquentiæ primum est Elementum.

Quid sit Eloquentia, quid Elocutio, & quæ sint huius Virtutes.

CAPVT PRIMVM.



E laudibus Eloquentiæ plura de more præfari, vnde quasi solenni ritu exordiri plerique solent benedicendi præcepta, (quod ad me attinet) inanissimum arbitror, & ab instituto meo longè alienum: cùm nec illa nouis istis commendationibus egeat, merito suo clarissima, totque tandiu celebrata calamis, ac linguis; nec illius me præconem profitear, sed indicem; cuius magis est rectum properantibus tramitem ostendere, quàm optatissimum alioqui terminum inutili mora commendare.

At ea est Eloquentiæ dignitas, vt neque definiri possit sine maximo lau-

dis argumento: est enim ex Tullio (a) *copiosè loquens Sapientia*; atq; (vt idem alibi) (b) *maius quiddam, quàm homines opinantur, & pluribus ex artibus, studijsque collectum.* Eximia sanè facultas, quæ Sapientiæ consortium exigit, totque aliarum disciplinarum subsidia! Quantumuis tamen summum illius culmen emineat, quod nullus vnquam creditur attigisse mortalium, tentandus est ab ima radice ascensus.

Primus itaq; ad Eloquentiam gradus studium est Elocutionis, quod ipsa vis nominis docet; nam denique ab eloquendo dicta est Eloquentia; priusque loqui est, quàm copiosè, ac sapientèr loqui: atque ideo illius initium Cæsar in verborum delectu collocauit (c). Et quanuis Elocutio in texenda Oratione Inuentioni, ac Dispositioni succedat, hæc vna statim apparet, velut exterior cutis, reliquum corpus profundiùs latet (d). Hæc eadem pars operis, vt inter omnes Oratores conuenit, difficillima, ab ipsis exorta Latinæ Linguæ rudimentis, Humaniorum subinde Literarum opera excolitur, lectione alitur, perficitur vsu: cùmque cæteræ Oratoris partes plurimum naturæ debeant, hanc nullus nisi arte assequi potest. Hùc studium

a *Cic. in Part.* b *De Orat. l.* 1.
c *Apud Cic. in Bru.* d *Quint. l.* 8. *in Pro.*

dium adhibendum, hoc exercitatio petit, hoc imitatio, hìc omnis ætas consumitur. Quamobrem quæ ad Elocutionem attinent ijs præmonstranda censeo, qui ad Eloquentiam gradiuntur: (a) *nam certè cùm sit in eloquendo positum Oratoris officium, dicere ante omnia est, atque hinc initium eius artis fuisse manifestum est.*

Elocutio, quam Græci Phrasim vocant, *est idoneus vsus verborum, & sententiarum, ad ea, quæ mente concepta sunt, explicanda.* (b)

Duæ præcipuæ sunt Elocutionis virtutes, Elegantia, & Ornatus. Elegantia in Latinitate, & Perspicuitate consistit. Latinitas complectitur emendatam loquendi rationem, quæ pendet à Grammaticis institutionibus, & Puritatem, ac Proprietatem sermonis, quæ à melioribus Latinæ Linguæ Authoribus quærenda est. Pura erit Elocutio, si vitijs carebit: quare fugienda erunt, quæ continentur hoc distícho.

Sordida, prisca, noua, antiquata, poetica, dura,
Turpia, rara nimis, vel peregrina caue.

Sordida, quæ iacent, repunt, e fæce vulgi, ac triuijs sumpta (c). *Prisca*, quæ

a *Quint. l.* 10. *c.* 1. b *Cic. l.* 1. *de Inuent.*
c *Iust. Lips. Instit. Epist. c.* 13.

quæ à remotiori antiquitate deriuantur: vt quædam Ennij, Pacuuij, Catonis, Plauti. *Noua*, à recentioribus excogitata, nec admiſſa Eruditorum ſuffragijs. *Antiquata*, quorum vſus obſoleuit. *Poetica*, vt Catachreſes quædam, & audaciores Translationes, quæ Poetæ licent, non Oratori. *Dura*, impropria, & longiùs deducta; tum aſpera omnia, immania, & ſeſquipedalia. *Turpia*, quæ fœdum aliquid, obſcœnumue ſignificant. Hæc vel proſcribantur omnino, vel ſi quandoque prætermitti non poſſint, honeſtioribus vocabulis explicentur, aut figuratis locutionibus ità obuelentur, vt ingenuas aures non lædant. *Rara*, quæ vix aliquando apud melioris notæ Scriptores inueniantur. *Peregrina*, barbara, & idioma externum redolentia.

Peſpicuitas claram, dilucidamque Orationem efficit; qualis erit, ſi proprijs verbis vtatur, iiſque dicendi modis, quos Literatorum vſus probarit: ſi æquiuocis, & amphibologijs careat: ſi non antiquioris eruditionis affectatione obſcuretur: ſi naturalem rerum ordinem ſeruet; vt prima præcedant, ſubſequentia ſuccedant, vltima poſtponantur. Abſint longæ Parentheſes: vitetur nimis conciſa breuitas, quæ mu-

mutilet sensum, nimia quoque Periodorum prolixitas, ac tumultuaria verborum congeries; qualis plerunque ijs accidit, qui Epitheta inutilia cuicunque nomini affigunt. Mirum verò est quantùm Elocutionem confundat perturbata constructio, quam aliqui, dum numeros intemperantiùs quærunt, ita permiscent, vt gryphos texere videantur.

Ornatum afferunt Elocutioni Translationes, & Figuræ: tum illa, quam Author ad Herennium (a) Compositionem vocat, quæ suauem reddit Orationem apta partium collocatione, ac numero; de quibus omnibus infrà seorsim agemus.

De Verborum Copia, & delectu:

CAPVT SECVNDVM.

LAtinæ linguæ inopiam ex eo plurimùm nasci crediderim; quòd multos annos primis rudimentis impendentes illius præcepta magis comparare plerique student, quàm vsum, neglecta Latinarum vocum notitia. Hinc euenit, vt adituri Eloquentiæ studia, sine viatico iter aggrediantur; cùm vix alia Nomina, & Verba probè cal-

a *Lib.* 4.

leant, quàm quæ in Grammaticis regulis attriuere; atque præpostera cura priùs, ornatè, quam propriè, dicere conati, neutrum assequantur.

Illud itaque primùm commendauerim, vt ab initio pueri propria rerum vocabula perdiscant, & aliqua quotidie memoriæ mandent; ne, cùm his vtendum fuerit, in singulis hæreant, semperque præsenti Nomenclatore sit opus; qui si deficiat, elingues videantur, vel barbari.

De varia item erudiantur significatione Verborum, idemque alijs, atque alijs modis explicare assuescant. Iuuabit libellus ille Calipij Poliphrasti de vtraque verborum, ac rerum copia (sic enim inscriptus circunfertur, suppresso damnati Authoris nomine) alendę Latinitati perutilis: etenim tam multa, quę Fabius attigerat, immò, ni fallor, nimiùm multa, in rem istam collegit, & explanauit, vt superuacaneum sit vel alia quærere, vel huc eadem reuocare.

Rationes aliquot Elocutionis variandæ per Casus vtriusq; numeri Nominũ, per Modos, ac Tempora Verborum, & eiusdem generis alias à Grammaticis petitas habet Gallus in tractatu de Elocutione cap. 36., & in Grammaticæ rudimentis. (a) Illis antea exercendi

erunt

a *Consule lib.4.de Elocut.Ludou.Carb.*

erunt in inferiori Classe Humanioribus postmodum Literis operam daturi; ne cùm adolescere deberent ad Eloquentiam, adhuc teneantur infantia.

Elocutionis vbertatem, ac diuitias dabit Lectio; non varia statim, sed accurata. *Diu non nisi optimus quisque, & qui credentem sibi minimè fallat, legendus est* (a): non enim apud Scriptores omnes æquè incorrupta est Latinę Linguæ integritas; cùm hæc per varios ætatum gradus varias subierit vices; primùm subhorrida, hinc purior, & sensim detersa vetustatis rubigine splendescens; mox licentia deterior, donec opprimentibus Italiam Barbaris, Latiumque miscentibus, affatim interijt, & migrauit in aliam Nostratibus communem.

Quatuor ergo Latinæ Linguæ Secula distinguuntur. Aureum florens, & illibatum: Argenteum deficiens, aliqua nouitate infectum: Æneum liberius: Ferreum deterius. Quæ successere corruptissima vix nomen habent, nisi quo suam testentur infelicitatem, Ligneum, & Luteum, in occasum Imperij, sermonisque Romani vergentia.

Ad fontes defæcatæ Latinitatis hau-

a *Quintil. l.* 10. *c.* 1.

riendos Authores ij legendi erunt, qui Aureo Seculo, quo maximè viguit, claruere. Sed horum primi, vt Ennius, Plautus, Cato de re rustica, Lucretius, antiquatis, & obsoletis verbis redundant. In Terentio etiam, ac Sallustio non nihil vetustatis aliqui deprehendunt. Nouissimi excellunt, Cicero, Cæsar, T. Liuius, Cornelius nepos, Vitruuius, Virgilius, Horatius, Tibullus, Catullus, Propertius, & Ouidius; quanuis hic, quòd pauca quædam nouauerit, non inserendus Aureis aliquibus videatur.

Tum seligantur e Seculis alijs præstantiores: vt ex Argenteo Q. Curtius, Valerius Maximus, vterq; Seneca, Rhetor, & Philosophus, Lucanus, Persius & Seneca Tragicus; cui quæ Tragœdiæ adscribendæ sint, quæ alium authorem habeant, quæstio est inter Criticos, non tam facilè soluenda. Et certè non eodem charactere scriptæ videntur, vt docet Frarnabius in easdem Tragœdias, in Præfatione ad Lectores.

Ex Æneo Seculo Fabius Quintilianus, Plinius maior, & minor, Cornelius Tacitus, L. Florus, Martialis, Iuuenalis, Statius.

Ex Ferreo Ausonius, Claudianus, Iustinus, Latinus Pacatus. Primores aliquot, & qui sæpius habentur in manu

e sin-

e singulis Ætatibus decerpo, non dinumero singulos; non enim Bibliothecæ indicem texo.

At cùm posteriores isti, qui post Aureum Seculum scripsere, ad leuandam Latini Sermonis inopiam plura noua induxerint, si quæ apud eos offenderis, ab Antiquis minimè vsurpata, non statim vt barbara condemnes: quædam enim necessariò inuenta rebus nouis inuentis; & quæ priùs noua fuerant, Eruditorum calculis approbata, iam authoritatem, & ius antiquitatis obtinuere. Nec ijs assentio, qui Latinam Elocutionem constare volunt puris putis Aurei Seculi reliquijs, vt quamlibet vocem non ea natam Ætate proscribant. Vbi Aurea desint, Argenteis; si hæc deficiant Æneis vti licebit, & communi vsu acceptis: nam *Consuetudo, quæ doctorum hominum consensu pendet, certissima est loquendi magistra. Quintil. l.1. c.6.*

Thesaurus Linguæ Latinæ, & selectiora Lexica peruoluenda erunt, quæ germanas verborum significationes, eorumque Authores edocebunt. Inde proderit Synonymorum Syluam colligere, vt Sermonis copia, facultasque paretur; & ne sæpiùs, si eadem de re dicendum fuerit, eadem repetantur, quod vitium Orationis Tautologiam vocant. At puerile studium fuerit, si te-

merè congesta Synonyma sine discrimine adhibeantur; non enim omnium vbique vis eadem est: quare ex multis idem significantibus eligentur nitidiora, nobiliora, minusque vulgaria; & , cùm in vsum transferenda erunt, aptiora, quæque rebus ipsis consentiant; vt lenia lenibus, grandia magnificis, tristia tristibus exprimantur.

Quanuis autem plurimùm intersit habere verborum delectum, misera tamen est eorum solertia, qui singula religiosiùs explorant; dumque hoc respuunt, illud non approbant, aliud elegantius, aliud numerosius vellent, nullique satis acquiescunt, dies perit, & opus. *Omnia verba (exceptis parum verecundis) sunt alicubi optima; nam & humilibus interdum, & vulgaribus est opus*. (a) Sit suum itaq; vocibus pretium, sed non supra meritum vocum. (b) *Curam verborum, rerum volo esse solicitudinem.*



De

a *Quintil. l.* 10. *c.* 1.
b *Idem l.* 8. *c.* 1.

De his, quæ spectant ad Elocutionis Ornatum, & primò de Tropis.

Quid sit, & quotuplex Tropus.

CAPVT PRIMVM.



ROPVS (a) *est verbi, vel sermonis à propria significatione in alienam cum virtute mutatio.* Nihil igitur aliud est, quàm verborum translatio ab ijs, quibus propriè conueniunt, significandis, ad alia, quorum propria non sunt: sed *cum virtute*; idest cum aliqua proportione, conuenientia, & affinitate. ex. gr. Serenitas propriè pertinet ad Cælum, risus ad hominem: cùm tamen inter serenitatem, & risum quædam intercedat emicantis lætitiæ conuenientia, serenitatem *Cæli risum* dices, risum ipsum *vultus serenitatem*: Cæterùm si quamuis vocem pro alia temerè ponas, erit omnino impropria, & absurda translatio. Dicitur prætereà Tropus fieri debere cum virtute; hoc

a *Quintil. l.8. c. 6.*

hoc est, vt vim habeat, vel supplendi proprium vocabulum, si desit, vel maiorem habeat significationem, aut sit decentius, & elegantius proprio translatum.

Vndecim Tropi sunt. Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Antonomasia, Onomatopœia, Catachresis, Metalepsis, Allegoria, Periphrasis, Hyperbole, & Ironia. Alios alij Tropos, plures alij numerant: nos istis contenti simus.

De Metaphora.

CAPVT SECVNDVM.

METAPHORA *est vocabuli à propria significatione ad non propriam per similitudinem migratio.* Virg. 5. Æneid.

Euryalus forma insignis, viridique iuuenta.

Viror non propriè iuuentutis est, sed herbarum: hunc tamen propter quandam similitudinem ad hanc ætatem Poeta transtulit; quòd inter cæteras plena vigoris, quasi nobile germen virescere, & vernare videatur.

Hinc Similitudines implicitas in Metaphora latere obserua, ad quas confugiendo Metaphoricas translationes facillimè inuenies, cùm sit nihil Simili-

litu-

litudine frequentius, & ab omnibus, quæ ſenſibus occurrunt, poſſit deduci. Hac vna certè Metaphoras omnes Tullius complectitur lib. 3. de Oratore. *Quarum ego quid vobis aut inueniendi rationem, aut genera ponam? Similitudinis eſt ad verbum vnum contracta breuitas.*

A Quintiliano, & alijs communiter ad quatuor præcipua capita reuocari Metaphora ſolet.

1. Deducitur à rebus animatis ad animatas: vt ſi conuitiatorem *latrare* dicas, loquacem *garrire*, quod propriè de auibus dicitur: *Si ſuperbum* Leonem, *perfidam* Vulpem appelles. Virg. 1. Æneid.

Iuſtitiaque dedit gentes frænare ſuperbas.

Huc eas etiam reduxerim Metaphoras, quæ à ſenſibus corporis transferuntur ad animum: vt cùm dicimus oculatiſſimum ingenium, cæcam temeritatem, guſtare literas, occalleſcere vitijs, mores non bene olere, animo perſpicere, obſurdeſcere aliorum conſilijs, deuorare iniurias, iracundiam decoquere &c.

2. A rebus inanimatis ad inanimatas: ita ſæpius audies lacrymarum *imbrem*, infortuniorum *procellam*, *niueum* florem, *cryſtallinum* amnem Catullus. Spi-

Spinosas Erycina ferens in pectore curas.

3. Ab animatis ad inanimatas: hinc apud Tullium *mutum* forum, *elinguem* curiam, tecta *lugere*, inuenies, Ouid. 4. Fastorum.

Tota sitit tellus, praripiturque seges.

4. Ab inanimatis ad animatas, sic *adamantinum* pectus, cor *ferreum*, *tonare* eloquentia, *ardere* cupiditate dicimus. Sen. in Thieste.

Tumet animus ira; feruet immensùm dolor.

Aliquot Metaphoræ inueniendæ rationes colligit Gallus. (a) Ea maximè vtilis est, quæ translationes ab Artibus mutuatur, vel quæ vnius Artis propriæ sunt ad alias Artes, aut Scientias transferendo: vt historiam *texere*, poema *procudere*; vel quæ per corporis sensus ab Arte fiunt, ad animum, ac mores deducendo: vt rude ingenium *dedolare*: mentem *præmunire* consilijs: impetus animi legum *retinaculis coercere*; vel quæ spectant ad Artes rebus naturalibus adscribendo: vt *striatæ* genæ: frons *arata* rugis: *pictum* flosculis pratum. Hinc petita Metaphora Plinius Conuoluoli florem nullo odore, nec crocis intus, candidum, vocat *naturæ rudimentum lilia facere condiscen-*

a *Rhet. lib.* 3. *c.* 13. & 14.

ſcentis(a). Iuuabit itaque noſſe Artium inuenta, inſtrumenta, opera, miniſteria; tum propria vocabula, quæ illis explicandis conueniant; hæc enim translata elegantiſſimas Metaphoras, & Allegorias dabunt, ad quas indagandas, vt excitentur Tironum ingenia, exemplis præibo.

Metaphoricæ translationes.

Ab Arte militari.

Iuriſprudentiæ nomen dare .i. *Iuriſprudentiæ ſtudio ſe addicere*. Literario Marte certare. Argumentorum telis confodere. Rebelles animos expugnare. Iram exarmare. De aliena inuidia triumphare. Bellum voluptatibus indicere. Militare pietati. Vir emeritæ doctrinæ. Non gregarius miles in Eloquentiæ caſtris. Philoſophorum Anteſignanus. *Cic.* 3. *de Legibus* Doctrinam ex vmbraculis Eruditorum, otioque, non modò in Solem, atque puluerem, ſed in ipſum diſcrimen, aciemq; perduxit. *Idem pr. de Oratore*. Educenda inde dictio eſt ex hac domeſtica exercitatione, & vmbratili, medium in agmen, in puluerem, in clamorem, in caſtra, aciemque forenſem.

A Medica.

Corruptos mores ad ſanitatem perducere. Doloris vulnus pendenti manu tra-

a *Lib.*21. *natur. hiſt. c.*5.

tractare. Mærore tabescentem blandæ Orationis pharmaco recreare. In peruicacia mala seueritatis antidotum adhibere. Languenti Patriæ mederi. Infecta Reip. membra resecare. Exulceratum animum obsequijs delinire.

A Nautica.

Velis, remisque contendere. Honori suo velificari. Gloriolæ auram captare. Imperij clauum tenere. Aduersæ fortunæ fluctibus iactari. Vario cogitationum æstu fluctuare. Tranquillæ vitæ malacia frui. Ad scopulos difficultatum allidi. A primo Eloquentiæ litore soluere. In priuatæ quietis portum se se recipere. *Cic. ad Atticum l. 2. epist.* 9. Malè vehi malo alio gubernante, quàm tam ingratis vectoribus bene gubernare: *vectoribus* metaphoricè pro *ciuibus*. Vectores propriè in re nautica sunt, qui naui aliena vehuntur.

A Piscatoria, & Venatoria.

Promissis inescare. Dolis irretire. Veritatem expiscari. Aucupari gratiam. Omnibus vestigijs aliquid indagare, peruestigare, odorari. In paratos alijs casses incidere: .i. *In fraudes alijs decipiendis instructas*. Hamis aureis capere: hoc est *pecunijs assequi optata, vel donis aliquem sibi deuincire*. Plinius iunior hamata, & visca-

ta munera vocat, quibus dator lucrum quærit, vt referat maiora, quàm dederat.

A Mercatura.

Subducere vitæ rationes. Fœnerare beneficium amico. Mutuari laudes ab auis. Famam vitæ impendio mercari. Muneribus gratiam redimere. Lucrari animorum salutem. Eruditionis censum augere. Exoticas doctrinæ merces depromere. Se, suaque venditare. Iura nundinari .i. *Emere, vel vendere. Cic. Philipp.* 3. Vna in domo omnes, quorum intererat, totum Imperium populi Romani nundinabantur. Venales rabularum linguæ. Eloquentiæ institor: hoc est *ostentator ex Quintiliano lib.* 8. *C.* 3. Scripta redigere ad calculos. *Cic. de Amicitia*. Hoc quidem est nimis exiguè, & exiliter ad calculos vocare amicitiam, vt par sit ratio acceptorum, & datorum. Pluribus nominibus alicui obstrictum esse, .i. *plurimum illi debere*: nomina hoc loco idem, ac *debita*. Soluendo non esse, .i. *parem gratiam referre non posse.*

Ab Agricultura.

Serere discordias. Ingenij fundum excolere. Prauorum morum gramina euellere, stirpes eradicare. Paginas doctis sudoribus irrigare. Teneris mentibus pietatem inserere. Syluescens vitijs

tijs animus. Quæstionum senticeta. Curarum vepres. Adolescentiæ noualia virtutum seminibus, bonarum artium frugibus fœcundare. Gloriæ messem, honorum segetem, laborum fructus colligere. Disciplinæ iugum. Legum sepes. Eruditionis horreum.

A varijs Fabrum operibus.

Iacere fundamenta fortunæ. Opus ad fastigium, ad coronidem perducere. Supremam operi manum imponere. Rerum gestarum monumenta e ruderibus antiquitatis effodere. Architectari voluptates .i. *fruendarum voluptatum rationem comminisci ; ex Tullio 2. de Finibus*. Carmina reddere incudi. Tornare periodos. Orationem limare, læuigare, colorare &c.

Omnium tandem Artium officinas percurre ; nec enim vlla est humilis adeò, quæ luculentam præbere non possit inquirenti Metaphorarum supellectilem. Suggeret Equiso cupiditatum frænum, regiminis habenas, phaleras verborum, admouenda segnibus ad virtutem calcaria. Ostendet Cosmeta Eloquentiæ calamistrum, cincinnos, pigmenta, & Isocraticum myrothecium, quod totum Cicero se consumpsisse in commentario Consulatus sui scribendo, affirmat, *ad Atticum l. 2. ep. pr.* Dabit etiam Cupedi-

na-

narius lautitiem sermonis, Elocutionis condimenta, salesque sapidissimos, & argutiarum tragemata, quibus Auditorum palatum demulceas.

Hæc pauca innuere placuit ad iuuandam edifcentium imbecillitatem; nec vltra progredior. Omnes .n. Metaphorarum formas, & modos illas educendi recensere velle, idem est, ac per vniuersæ Naturæ fines vagari. Vix quidem alius frequentior Tropus est, quique maiorem Elocutioni conferat dignitatem, si temperanter, & prudentèr adhibeatur, cùm admirationem afferant ingeniosè translata: vt enim peregrina potiùs, quàm domestica miramur, ità nos magis aliunde ascita vocabula, quàm natiua delectant. Sed vitanda Metaphorarum deformitas, & à Poetis vsurpata quidlibet audendi licentia. Cauendum, ne dissentiat à rebus translatio, nec tumeat nimium, nec vilescat. Quis enim ferat Cæli placentam pro Luna, hortorum Smaragdos pro caulibus? (a) Vt modicus autem atque opportunus Metaphoræ vsus illustrat Orationem, ita frequens, & obscurat, & tædio complet; continuus verò in Allegoriam, & Ænigma exit.

a *Quintil. l.8. c. 6.*

De Synecdoche.

CAPVT TERTIVM.

SYNECDOCHE *est Tropus, quo aliud ex alio intelligitur*; fitque pluribus modis.

1. Cùm totum pro parte sumitur. Virg. Æneid. 3. *viridemque ab humo conuellere Syluam*, totam posuit Syluam, cùm de myrto loqueretur. Sen. in Med. *Indus gelidum potat Araxem, Albim Persa, Rhenumque bibunt.*

2. Pars pro toto: vt *limen*, *vel tectum* pro domo: *puppis*, vel *carina* pro naui. Virg. 4. Æneid. *longa sulcant vada salsa carina.* Sic dicimus *Caput* pro homine: lepidum Caput, inuisum, infidum. Sic *mucronem* dicimus pro gladio &c.

3. Genus pro specie: vt *ales* pro Aquila, *quadrupes* pro equo. Virg. 6. Æneid. *Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit*,

4. Species pro genere: vt *Ornus* pro quauis arbore, *Tigris* pro quauis fera, *Lacon*, vel *Vmber* pro quouis Cane venatico. Sil. Ital. lib. 3.

Venator dumeta Lacon, aut exigit Vmber.
Nare Sagax è valle feras.

5. Sin-

5. Singularis numerus pro plurali Virg. 2. Æneid. *latè loca milite complent*, & alibi *Hostis habet muros*. Senec. in Tro. *Soluimus omnes lacerum multo funere crinem*. .i. crines laceros multis funeribus, & apud Liuium *Romanus prælio victor*: hoc est Romani victores.

6. Numerus pluralis pro singulari, Cic. de se ipso. *Populo imposuimus, & Oratores visi sumus*. idem in Pis. *O Stultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos &c.* Frequentia sunt apud Poetas *ora*, *colla*, *pectora*, *corda*, pro ore, collo &c.

Numerus quoque determinatus non rarò pro indeterminato ponitur. Sic in quotidiano sermone dicere solemus *millies* pro sæpe, *mille* pro multis Virg. l. 5. Æneid. de Iride. *Mille trahit varios aduerso Sole colores*. Cic. 2. de Diuinit. *Sexcenta licet huiusmodi proferre*. Sexcenta pro infinito numero dicere ferè vsitatum esse Donatus docet.

7. Antecedens pro Consequenti; vt *Subdere equo calcaria* pro currere: *soluere e litore* pro discedere. Sen. in Tro. *Bis pulsata Dardana Graio mœnia ferro* .i. bis euersa Troia.

8. Consequens pro Antecedenti: vt cùm ponimus *funera* pro morte, vel *mor-*



mortem pro vulnere. Latin. Pac. in Paneg. *Isti mortes receptas in Syluas, & flumina deferebant.*

Postrema hæc duo capita pertinere aliqui ad Metonymiam malunt: Quintilianus ad Synecdochen refert.

De Metonymia.

CAPVT QVARTVM.

METONYMIA *est positio rei alicuius pro alia, quasi cognata, & vicina.*

1. Cùm ponitur Causa pro Effectu, vt Inuentor pro re inuenta; ex. gr. *Ceres* pro frugibus, *Bacchus* pro vino: siue Author pro suo opere, vt *Seneca*, *Tullius*, *Horatius* pro eorum Scriptis; aut materia pro re ex ea facta; vt *pinus* pro naui, *argentum* pro pecunia, *linum* pro velo.

2. Effectus pro Causa; vt cùm dicimus *scelus* pro scelesto, *bellum* pro bellatoribus, *patriæ perniciem* pro ciue patriæ pernicioso. ita Cicero Verrem appellat *labem, ac perniciem prouinciæ*. Hinc ab effectibus *pigram* vocamus hyemem, *tristem* senectam, *squalidam febrim*. .i., quæ squalidos homines facit. Q. Curtius lib. 5. *Et calamitas querula est, & superba felicitas.*

3. Id,

3. Id, quod continet pro eo, quod continetur: vt *Academia* pro Academicis, *Ciuitas* pro Ciuibus. Cic. *Armis Italia vinci non poterat, nec Græcia disciplinis*.

4. Possessor pro re possessa. Virg. *Proximus ardet Vcalegon*, .i. domus Vcalegontis.

5. Signum pro re signata; vt *fasces* pro Consulatu, *gladius* pro bellica virtute, *palma* pro victoria, *sceptrum*, vel *purpura* pro Regno. Luc. lib. 7. de Cicerone. *cuius sub iure, togaque Pacificas sæuus tremuit Catalina secures*. Secures pro Consulari potestate.

De Antonomasia.

CAPVT QVINTVM.

ANTONOMASIA est quædam nominis permutatio, qua vel nomen appellatiuum pro proprio ponitur, vel proprium pro appellatiuo. Exemplum primi generis sit *Orator* pro Tullio, *Satyricus* pro Iuuenali, *Historicus* pro Liuio. Exemplum 2. generis *Crassus* pro Diuite, *Cato* pro Sapiente, *Nero* pro Crudeli.

Deducit autem Antonomasia nomina à Stirpe: vt si dicas *Æaciden* pro Pyrrho ab auo Æaco; à Patria: vt *Ithacum*

cum pro Vlysse ab Ithaca insula natali ; à Secta : vt *Stoicum* pro Zenone ; à Studijs, vel facultatibus, quibus aliquis excelluit : vt *Mathematicum* pro Archimede ; ab artibus : vt *Pictorum principem* pro Apelle, & vicissim *Apellem* pro egregio pictore, *Dædalum* pro ingenioso artifice ; à moribus : vt *Cretensem* pro mendaci ; à factis : vt *Monstrorum domitorem* pro Hercule ; denique à præstantia in aliquo genere vel boni, vel mali, præsertim vsurpando eorum nomina propria, qui fuerint maximè insignes pro appellatiuis : hinc dicimus *Achillem* pro strenuo viro, *Aristidem* pro iusto, *Nestorem* pro longæuo, *Thersitem* pro deformi, *Margitem* pro stolido, *Sinonem* pro fraudulento.

Ad variandam Elocutionem per Antonomasias, & Hyperboles indicem non inutilem inuenies apud Calipium Poliphrastum lib. 1. cap. 46.

De Onomatopœia, Catachresi, & Metalepsi.

CAPVT SEXTVM.

ONOMATOPOEIA *est fictio vocis, quæ sit rei explicandæ simillima*. Hinc *hinnitus* equorum, *mugitus* boum, *balatus* ouium, *coaxatio* ranarum, *bombus* apum.

Cucurrire solet gallus, gallina gracillat,

ita Philomelæ Author, apud quem plurima leges huius notæ, per Onomatopoeiam ficta. Sed non omnia, quæ Poetæ audent, licent Oratori. *Taratantara* excogitauit Ennius, ad tubę sonitum explicandum: Baubari Canes à Lucretio dicuntur: quæ tamen, si sapis, suis inuentoribus relinques.

CATACHRESIS est vocis abusio, seu durior, & licentior vocabuli translatio, vt si pro temerario *Magnanimum* dicas, pro astuto *Prudentem*, *Sperare* dolorem pro timere. Sic Apuleius agnum pinguem *incuriosum* vocat: Manilius vero lib. 5. in Æstatis descriptione pro humore, quo herbæ, & plantæ vigent, *viridem Sanguinem* ponit.

Et viridis nemori Sanguis decedit, & herbis.

Aliquando Catachresis ad exaggerandum plus dicit, quàm res exigat: vt *parricidam* pro homicida; aliquando ad rem diminuendam minus dicit, quàm res ipsa postulet: vt *parcum* pro auaro, *facetum* pro scurra. Hinc apud Horatium paterni amoris Catachresis filiorum deformitati blanditur.

Strabonem
(a) *Appellat pætum pater, & pullum, male paruus*
Si cui filius est.

a *Lib.* 1. *Serm. Stat.* 3.

& apud Plutarchum notantur à recentioribus Græcis Athenienſes, quòd rerum inuidiam vrbanè inditis nominibus mollibus, atque mitioribus obtegere, & diminuere ſolerent: cùm tributa *collata in vſum Reip. pecuniæ*, præſidia *cuſtodiæ*, carcerem *domicilij* vocabulo appellarent.

METALEPSIS eſt alicuius dictionis vſurpatio pro alia remotiori, ad cuius cognitionem quaſi per gradus peruenimus. Sic Virgilius *ariſtas*, Ouidius *meſſes*, Martialis *brumas* pro annis poſuit.

Tecum terdenas numeraui Poſthume brumas lib. 4. epig. 40.

vbi per *brumas* hyemes, per *hyemes* annos intellexit, ad quos intelligendos per antecedentia fit gradatim aſcenſus; nam bruma fit quauis hyeme, hyems eſt quouis anno; atque ita qui ter denas numerat brumas, totidem numerat annos. Hæc autem frequentiora in carmine, rariùs in ſoluta Oratione adhibenda.

De Allegoria.

CAPVT SEPTIMVM.

ALLEGORIA *eſt Tropus ex aliorum frequentatione conflatus, aliud verbis ſignificans, aliud ſenſu.* vel breuiùs

uiùs *est continuata translatio*. Cùm ergo plures conueniunt in integram ſententiam translationes, præſertim verò continuatæ Metaphoræ, in Allegoriam tranſeunt. Seditionis *faces*, Eloquentiæ *catenulæ*, animus *effrenis* Metaphoræ ſunt, quæ productæ ad ſententiam fient Allegoriæ, ſi dicas. *Iam incenſas ad Reip. incendium ſeditionis faces ab ipſis perduellium manibus ereptas extinguere. Vinctos aureis eloquentiæ catenulis auditorum animos in ſuauiſſimam rapere captiuitatem. Effrenem adoleſcentis animum iniectis diſciplinæ ſeuerioris habenis coercere.*

Tullius in Piſ. *Neque tam fui timidus, vt qui in maximis turbinibus, ac fluctibus Reip. nauim gubernaſſem, ſaluamque in portu collocaſſem, frontis tuæ nubeculam, tum Collegæ tui contaminatum ſpiritum pertimeſcerem. Alios ego vidi ventos, alias proſpexi animo procellas, alijs impendentibus tempeſtatibus non ceſſi.*

Idem in Verrem 6. *Errabas Verres, & vehementer errabas, cùm te maculas furtorum, ac flagitiorum tuorum, ſociorum innocentium ſanguine eluere arbitrabare. Præceps amentia ferebare, qui te exiſtimares auaritiæ vulnera crudelitatis remedijs poſſe ſanare.*

Elegantiſſimas habet Allegorias D.

Hieronymus, qualis ea est epist. 1. lib. primi ad Heliodorum Monachum, quem ad solitudinem repetendam hortatur.

Quid facis in turba, qui solus es? Et hoc ego non integris rate, vel mercibus, nec quasi ignarus fluctuum præmoneo; sed quasi nuper naufragio eiectus in litus doctus nauta timida nauigaturis voce denuntio. In illo æstu Charybidis luxuria salutem vorat: ibi ore virgineo ad pudicitiæ perpetranda naufragia, Scylla ceu renidens, libido blanditur: hic barbarum litus, hic Diabolus pirata cum socijs portat vincula capiendis. Nolite credere, nolite esse securi. Licet in modum stagni fusum æquor arrideat: licet vix summa iacentis elementi spiritu terga crispentur: magnus hic campus montes habet; intus inclusum est periculum, intus est hostis, expedite rudentes, vela suspendite: crux antennæ figatur in frontibus. Tranquillitas ista tempestas est.

Nihil quidem Allegoria suauius, & illustrius, temperanter, ac prudenter adhibita; vt antea de Metaphora dixeram: at eadem assiduitate vilescit, ac satietatem affert, nihilque est Allegorici styli affectatione putidius. Illud quoque seruandum, vt quo genere cœperis translationis, hoc desinas,

Mul-

(a) Multi enim (vt Fabij verbis vtar) cùm initium à tempestate sumpserunt, incendio, aut ruina finiunt, quæ est inconsequentia rerum fœdissima. Non bene itaque dixeris armorum fluctibus Europam omnem *ardere*: sed *agitari*, *concuti*, *iactari*. Nec minus vitiosa est Allegoria, si obscuritate peccet, nam vertitur in Ænigma; de quo plura vide, si lubet, apud Carbonem lib. pr. de Elocutione cap. 13., & apud Gallum lib. 3. Rhet. cap. 16.: nunc enim ad rem meam nihil Spinghes arbitror pertinere.

De Periphrasi.

CAPVT OCTAVVM.

PERIPHRASIS (b) *est oratio rem simplicem assumptam Elocutione circunscribens:* dicitur à Latinis *Circumlocutio;* nam circuitu quodam verborum pluribus describit, quod paucioribus dici posset: vt cùm *infidum Elementum* dicimus pro mari, *aruorum Sidera* pro floribus, *volucrum Reginam* pro Aquila. Cum Antonomasia fermè, & Allegoria conuenit, pluresque alios Tropos complecti potest, si rem per varias translationes exprimat; quibus omni-

a *Lib.*8.*c.*6. b *Lib.*4. *ad Herem.*

no si careat, iam non Tropis adscribenda est, sed Figuris, ijs videlicet, quæ valent ad orationem amplificandam. Sen. in Medea per Periphrasim Orpheum ita describit.

Ille vocali genitus camœna,
Cuius ad chordas modulante plectro
Restitit torrens, siluere venti;
Cui suo cantu volucris relicto
Adstitit tota comitante sylua.

Frequens est apud Poetas hic loquendi circuitus, frequentissimus apud Ouidium; nec rarò ab Oratoribus adhibetur, sed aliquantò adstrictior. Iuuat ad ornandam, & locupletandam Orationem; ad humilia digniùs explicanda: ad turpia, & sordida, honestiori specie vestienda. Sed modus est adhibendus, ne migret in vitium, quod Perissologiam vocant, hoc est superfluam locutionem.

De Hyperbole, & Ironia.

CAPVT NONVM.

HYPERBOLE *est oratio, augendo, vel minuendo fidem superans*: augendo ex. gr. *Tigride Crudelior, durior adamante, ardentior igne, ipsa morositate morosior, deformitate deformior.*

Ouid.

Ouid. *Asperior tribulis, fœta truculentior vrsa,*
Surdior æquoribus, calcato immitior hydro.

minuendo ex. gr. *Pygmæo minor, pluma leuior, momento breuior, Iro pauperior, leberide inanior*, hoc est serpentis exuuijs, vt veteri fertur adagio. Sen.Mor. de hoc orbe inferiori loquens. *Punctum est istud, in quo nauigatis, in quo bellatis, in quo Regna disponitis*, Festiuas ad minuendum Hyperboles adhibet Martialis in rus exiguum, quo donatus fuerat à Lupo lib. 11. ep. 19.

Donasti Lupe rus sub vrbe nobis:
Sed rus est mihi maius in fenestra.
Rus hoc dicere, rus potes vocare?
In quo ruta facit, nemus Dianæ.
Arguta tegit ala quod cicada,
Quod formica die comedit vno,
Clausæ cui folium rosæ corona est? &c.

pari stylo in phialam ludit à Paulo missam lib. 8. ep. 33. Sed hæc ioci gratia: cæterùm seruanda in Hyperbole mensura, illudq; maximè spectandum, quousque rem attollere deceat, vel deprimere, ne insanire videatur Orator.

IRONIA est simulata locutio, quæ propriæ verborum significationi contrarium sensum habet. Aliud itaq; verbis loquitur, longè aliud, immò, & oppositum innuit sensu: maximè verò pro-

nuntiatione dignoſcitur, quæ diuerſam ab Oratione voluntatem oſtendit: vt cùm ignauum *virum fortem*, ſtolidum *ſagacem* per contemptum vocamus.

Cic. in Cat. 2. *O bellum magnoperè pertimeſcendum, cùm hanc ſit habiturus Catilina ſcortatorum cohortem prætoriam. Inſtruite nunc Quirites contra has tam præclaras Catilinæ copias veſtra præſidia, veſtroſque exercitus.*

In Piſonem triumphalis gloriæ contemptorem. *Non eſt integrum Cn. Pompeio conſilio iam vti ſuo: errauit enim: non guſtarat iſtam tuam Philoſophiam. Ter iam homo ſtultus triumphauit. Craſſe pudet me tui. Quid eſt, quòd confecto formidoloſiſſimo bello coronam illam lauream tibi tantoperè decerni volueris à Senatu? P. Seruili, Q. Metelle, C. Curio, P. Affricane cur non hunc audiſtis tam doctum hominem, tam eruditum, priuſquam in iſtum errorem induceremini?*

& paulò inferiùs. *Meditare quibus verbis incenſam illius cupiditatem comprimas, atque reſtringuas* (Cæſaris ſcilicet triumphum cupientis) *Valebis apud hominem, volitantem gloriæ cupiditate vir moderatus, & conſtans; apud indoctum eruditus, apud generum ſocer. Dices enim, vt es homo facetus, ad perſuadendum concinnus, perfectus,*

fectus, politus è schola &c.

Ironiæ *Antiphrasim* Galli Rhetor annectit, quæ est dictio contrarium significans, seu vox à contrario dicta. Sic *Parca* dicitur, quòd minimè parcat; *lucus*, quòd minimè luceat &c. Differt ab Ironia; quòd non dissimulatione nititur; neq; voce pronuntiantis contrarium significat, sed suis tantum verbis, quorum est origo à contrario. *Ven. Beda in libello de Tropis.*

Vltimò Tropis additur à pluribus *Hyperbaton*, seu Transgressio, cuius est vel perturbare verborum ordinem: vt *maria omnia circùm* pro circùm omnia maria; vel vnum, idemque verbum aliquo alio vocabulo interiecto dimidiare: vt *Septem subiecta Trioni*, hoc est subiecta Septentrioni, quæ omnia procul dubio spectant ad Constructionis Figuras.

Sed quam diuersa dè Tropis occurrent tum veterum, tum recentiorum scripta voluenti? (a) Nec mirum: nam vetustissimam esse constat ex Quintiliano circa Tropos inexplicabilem, & Grammaticis inter ipsos, & Philosophis pugnam: Quæ sint genera, quæ species, quis numerus, quis cui subijciatur. Plures alij, alij pauciores esse volunt. Sunt qui omnes vnica Metaphora con-

a *Lib. 8. Instit. Orat. cap. 6.*

cludant : Aliqui Allegoriam non esse contendunt speciem Tropi ab alijs distinctam, Onomatopœiam alij à translatis excludunt, quam inter Schemata numerant: Periphrasim quoque, & Ironiam Figuris malunt adscribi. Hæc, aliaque huiusmodi dissidia nihil te moueant. (a) Audi eiusdem Quintiliani sententiam. *Non mutatur vocabulis vis rerum, & sicut homines si aliud acceperunt, quàm quod habuerant, nomen, ijdem sunt tamen: ita hæc, de quibus loquimur, siue Tropi, siue Figuræ dicentur, idem efficient; non enim nominibus prosunt, sed effectibus. Optimum ergo in his sequi maximè recepta, & rem ipsam quocunque appellabitur nomine, intelligi.* Illud interim certum sit, in tradendis de Arte dicendi præceptis inutiles prorsus esse cauillationes, quæ nihil proficiunt ad instituendum Oratorem. Quod si te morantur Criticorum nugæ, aut acutæ Quæstiones oblectant, adi Ludouicum Carbonem, qui totam Artem Oratoriam prolixis disputationibus examinauit.

*****

DE

a *Lib. 6. cap. pr.*

CAPVT PRIMVM.



IGVRA(Græcè Schema) *est dicendi forma arte nouata*, siue *sermo à communi vsu remotus*. Differt à Tropo, quòd translationes necessariò non exigit.

Duplex est Figurarum genus. Aliæ sunt Figuræ verborum, aliæ sententiarũ.

FIGVRA VERBORVM est, quæ in varia dictionum, aptaque collocatione consistit, qua collocatione sublata tollitur, aut mutatur Figura. ex. gr. *& venit, & vidit, & vicit*, Figura est *CONIVNCTIONIS*. Tolle particulas connectentes: iam si dicas *venit, vidit, vicit*, erit *DISSOLVTIO*.

FIGVRA SENTENTIÆ est in absoluta sententia totius Orationis conformatio, vel *est quæ totam sententiam aliquo animi motu afficit, & exponit*: hæc itaque non à verbis pendet, sed à sensu; illis enim immutatis, suam adhuc vim seruat.

Verborum Figuræ sunt Orationis colores, pigmenta, cincinni; Figuræ sententiarum nerui, tori, vires. At neque istarum, neque illarum certus est

numerus, immò neque certa appellatio, & methodus; adeò vt rem hanc infinitam Tullius (a) appellarit. Et quidem, cùm varia sint hominum ingenia, diuersique affectus, à quibus diuersæ, nouæq; continuò produci Figuræ possunt, quis earum summam subducat? Nostrum tamen non est omnes indagare, sed insigniores. In his prætereà distribuendis plerique Authores dissentiunt; eandem enim Figuram alij collocant inter ornamenta verborum, alij collocant inter Schemata sententiarum. Verùm non repugnat vnam, eandemq; Figuram ob diuersas rationes ad vtrumq; genus referri posse. Ita *GRADATIO* ex. gr., vt ornamentum Orationis est, consistens in certa verborum collocatione sese gradatim nectentium, est verborum Figura: vt vim habet exaggerandæ rei, & Orationis amplificandæ, spectat ad sententiarum Figuras. Amphibia tamen hæc Schemata, quæ vtriusque generis esse possunt, ad alterum tantum genus reducam, ne bis redeant in paginas. Adde nihil referre, quomodo appellentur, aut vbi collocentur, si quid Orationi prosit apparet. Iam aggrediamur verborum Figuras, è quibus afferam Eloquentiæ studiosis vtiliores, ijs posthabitis, quæ solent à Grammaticis tradi.

Fi-

a *In Topicis*.

Figura Verborum.

CAPVT SECVNDVM.

R*EPETITIO est resumptio eiusdem verbi in principio Incisorum, vel Membrorum* Cic. in Cat. *Nihil ne te nocturnum præsidium palatij, Nihil Vrbis vigiliæ, Nihil timor populi, Nihil consensus bonorum omnium, Nihil hic munitissimus habendi Senatus locus, Nihil horum ora, vultusque mouerunt?*

CONVERSIO est iteratio eiusdem verbi in fine, ex. gr. *Pœnos Populus Romanus vicit, victoria vicit, armis vicit, liberalitate vicit.*

COMPLEXIO est, quæ eandem dictionem repetit in principio, & fine, in diuersis sententijs. Cic. de lege Agr. *Quis legem tulit? Rullus. Quis tribus sortitus est? Rullus. Quis decemuiros creauit? Rullus.*

CONDVPLICATIO est, quæ idem verbum geminat proximè: vt *Me me adsum, qui feci*. Cic. in Cat. *Viuis, & viuis, non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam*. Hor. *O Ciues ciues quærenda pecunia primum est, Virtus post numos*: vel post aliqua interiecta, intra eandem sententiam: Cic. in Verrem. *Multi, & graui dolores inuenti*

ti parentibus, & propinquis multi: vel in fine ſententiæ, & ſubſequentis initio: Virg. Eccl. 9. *Pierides vos hæc facietis maxima Gallo;*

Gallo, cuius amor tantum mihi creſcit in horas.

Paucis; quocunque modo idem verbum, vel plura verba iterentur, Figura eſt Repetitionis; cuius plurimæ ſpecies ab aliquibus diſtinguuntur. Sed in tot diſtinctionibus nihil notandum inuenio, præter nomina, immò Græcorum nominum monſtra: nec operæ pretium puto circa hæc leuioris momenti Schemata prolixiori cura detineri.

CONIVNCTIO græcè Polyſyndeton, eſt frequens coniunctionum iteratio. Cic. in Verrem. *Neque priuati, neque publici, neque profani, neque ſacri tota in Sicilia quidquam reliquiſſe*. Virg. 8. Æneid. *Bronteſque, Steropeſque, & nudus membra Pyracmon.*

DISSOLVTIO, græcè Aſyndeton, eſt ſoluta coniunctionibus oratio; ex. gr. *Vrbem cæde, rapinis, incendio vaſtanit*. Cic. pro M. Marcello. *Conſtituenda iudicia, reuocanda fides, comprimendæ libidines, propaganda ſoboles*. Martialis l. 2. *Frange thoros, pete vina, roſas cape, tingere nardo.*

TRAIECTIO, ſeu *TRADVCTIO, eſt repetitio einſdem dictionis cum aliqua immu-*

immutatione casus numeri, generis, modi, vel temporis. Cic. pro Roscio. *Sua quenq; fraus, suus error maximè vexat: suum quenque scelus agitat*. Idem pro Archia. *Pleni sunt omnes libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas*. Virg. 2. Æneid.

Apparet domus intus, & atria longa patescunt.
Apparent Priami, & veterum penetralia Regum.

ANNOMINATIO, seu *PARANOMASIA est lusio in verbis, literarum similitudine conuenientibus diuersam tamen habentibus significationem*: ex.gr. *Fama, & fame laborans. Tumidus idem, ac timidus. Ferus, ac planè ferreus*. Cic. pro Roscio Amerino. *T. Roscius terret etiam nos, ac minatur tribus prædijs, hoc est præmijs sceleris ornatus.*

In Fœminam nomine Furiam ludens Ouidius. *Cur ego non dicam Furia te Furiam?*

Acuta est apud Suetonium Annominatio, qua Tiberij Cæsaris ebrietatem milites carpebant, non Claudium Tiberium Neronem, sed *Caldium Biberium Neronem* illum appellantes.

Festiua, & opportuna iocis Figura, neque contemnenda in Elogijs, si non tantùm in verbis, sed etiam in rebus ludat, ac sobriè adhibeatur. Cæterùm si sit

sit frequentior, ac sine pondere sententiarum, nugatoria est, ac puerilis.

SIMILITER CADENS est, cum plura nomina iisdem casibus, & numeris, vel plura verba iisdem modis, temporibus, ac personis conueniunt. Cic. in Cat. *Ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit, fortuna seruauit.*

SIMILITER DESINENS est, cùm partes Orationis iisdem ferè syllabis desinunt. Cic. pro lege Manil. *Ciues assenserunt, Socij obtemperauerunt, hostes obedierunt.* Ferè semper vniuntur hæ duæ Figuræ, immò nomine tenus à Scaligero distinguntur.

COMPAR, seu *ISOCOLON, est Oratio ex membris pari propè numero syllabarum constantibus.* Cic. pro Mil. *fecit iratus, fecit inimicus, fecit vltor iniuriæ, punitor doloris sui.* Idem pro lege Manil. de Pompeio. *Plura bella gessit, quàm cæteri legerunt, plures prouincias confecit, quàm alij concupierunt.*

Antithesim, seu Contrapositum, Congeriem, Interpretationem, Synonimiam, Gradationem, quas aliqui huc referunt, in Figuris Sententiarum inuenies.

Leuior quidem hæc est Eloquentiæ supellex, at neque spernenda, cùm ad Orationis ornatum pertineat: venustatem quippè, & concinnitatem affe-

runt

runt hæc lumina verborum. Nec prorſus vi ſua carent: nam ipſa Repetitio, quæ tenuis alioqui Figura videtur, Energiam habet, vtiliſque eſt ad vrgendum aduerſarium, & affectiones animi exprimendas. Verùm *ſicut hæ Figuræ ornant Orationem opportunè poſitæ, ita ineptiſſimas eſſe* adijcit Fabius *lib.* 9. *c.* 3. *cùm immodicè petuntur. Sciendum verò inprimis, quid quiſque in orando poſtulet locus, quid perſona, quid tempus. Maior enim pars harum Figurarum poſita eſt in delectatione. Vbi verò atrocitate, inuidia, miſeratione, pugnandum eſt, quis ferat contrapoſitis, & pariter cadentibus, & conſimilibus iraſcentem, flentem, rogantem?* Sapiat igitur Orator, ne tractet calamiſtrum, cùm vibrandus eſt mucro.

DE FIGVRIS SENTENTIARVM.

IN tres Ordines diuido Schemata Sententiarum. Primus Figuras complectitur, quæ in Contentione valent ad confirmandum, & confutandum. Secundus, quæ ad rem explicandam, exaggerandam, & amplificandam. Tertius, quæ ad effectus exprimendos, vel mouendos. Aduerte verò in hac figurarum diſtributione earum tantùm vim præcipuam, non omnem vſum,

vſum, omnemque virtutem ſpectari; cùm illæ ad omnia valeant aptè adhibitæ. Cæterùm Oratoris eſt in quouis Orationis munere Figuras eligere, quas viderit ad ſuum finem obtinendum magis idoneas, ex quocunque ſint Ordine.

Figuræ primi Ordinis.

CAPVT TERTIVM.

INTERROGATIO *Figura eſt, quæ non ad ſciſcitandum, ſed ad inſtandum, arguendum, commouendum, aut ad alium huiuſmodi finem adhibetur.* Si tantùm fiat ad ſciſcitandum, non eſt Figura.

Cic. in Cat. pr. Quæ nota domeſticæ turpitudinis non inuſta vitæ tuæ eſt? Quod priuatarum rerum dedecus non hæret infamiæ? Quæ libido ab oculis, quod facinus à manibus vnquam tuis, quod flagitium à toto corpore abfuit? Quid eſt Catilina? Ecquid attendis? Ecquid animaduertis horum ſilentium? Patiuntur, tacent: quid expectas authoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perſpicis?

Vbinam gentium ſumus? Quam Remp. habemus? In qua vrbe viuimus?

Idem pro ſexto Roſcio. Quid vis am-

amplius? Quid insequeris? Quid oppugnas? Qua in re tuam voluntatem lædi à me putas? Vbi tuis commodis officio? Quid tibi obsto?

SVBIECTIO est figura qua idem interrogat, suaque interrogationi respondet.

Cic. in Cat. pr. Quid tandem impedit te? Mos ne maiorum? At persæpè etiam priuati in hac Rep. perniciosos ciues morte multarunt. An leges, quæ de ciuium Romanorum supplicio rogatæ sunt? At nunquam in hac vrbe ij, qui à Rep. defecerunt, ciuium iura tenuerunt.

Idem in Verrem. Qui sibi hoc sumpsit, vt corrigat mores aliorum, & peccata reprehendat, quis hunc ferat, si qua ipse in re ab religione officij declinarit? Furem aliquem, aut rapacem accusaris? Vitanda tibi semper erit omnis auaritiæ suspicio. Maleficum quenquam adduxeris, aut crudelem? Cauendum erit semper, ne qua in re asperior, aut inhumanior fuisse videare. Corruptorem, adulterum? Prouidendum diligentèr, ne quod in vita vestigium libidinis appareat. Omnia postremò, quæ vindicaris in altero, tibi ipsi vehementer fugienda sunt.

Grauissimam Subiectionem, plenamque affectibus, at prolixam vide apud eundem in Oratione pro Murena circa

circa finem ab illis verbis. Si (quod Iuppiter auertat) hunc vestris sententijs afflixeritis, quo se miser vertet? Domum ne? &c.

.. *Seneca de Tranquillitate.* Inueniat aliquid *studiosus virtutis*, in quo vtilis ciuitati sit. Militare non licet? Honores spectet. Priuato viuendum est? Sit orator. Silentium indictum est? Tacita aduocatione ciues iuuet. Periculosum etiam ingressu forum est? In domibus, in spectaculis, in conuiuijs bonum contubernalem, amicum fidelem, temperantem conuiuam agat. Officia si ciuis amiserit, hominis exerceat.

D. Hieronymus ad Heliodorum, quem ad solitudinem inuitat. Paupertatem times? Sed beatos Christus pauperes appellat. Labore terreris? At nemo Athleta sine sudore coronatur. De cibo cogitas? Sed fides famem non timet. Super nudam metuis humum exesa ieiunijs membra collidere? Sed Dominus tecum iacet. Squalidi capitis horret inculta cæsaries? Sed caput tuum Christus est. Infinita Eremi vastitas te terret? Sed tu paradisum mente deambula. Quotiescunque illuc conscenderis, toties in Eremo non eris. Scabra sinè balneis attrahitur cutis? Sed qui in Christo semel lotus est, non

illi

illi necesse est iterum lauari.

Imperfectam quoque *SVBIECTIONEM* eam voco, quæ supprimit Interrogationem, cuius tantum notam si suis locis addideris, erit perfecta Subiectio: vt in sequentibus exemplis.

Cic. Parad. 5. *de viro, cui mulier imperat*. Vocat: veniendum. Poscit: dandum. Eijcit: abeundum. Minatur: extimescendum.

Idem pro Roscio. Prædia mea tu possides: ego aliena misericordia viuo. Concedo, & quòd animus æquus est, & quòd necesse est. Mea domus tibi patet: mihi clausa est. Fero. Familia mea maxima vteris; ego seruum habeo nullum. Patior, & ferendum puto.

Senec. epist. 88. Doces me quomodo inter se acutæ, ac graues voces consonent, & quomodo neruorum disparem reddentium sonitum fiat concordia. Fac potiùs, quomodo animus secum meus consonet, nec consilia mea discrepent. Monstras mihi, qui sint modi flebiles. Monstra potiùs quomodo inter aduersa non emittam flebilem vocem. Metiri me Geometres docet latifundia. Potiùs doceat, quomodo metiar, quantum homini sit satis. Numerare me docet Arithmetica, & auaritiæ accommodare digitos. Potiùs doceat, nihil ad rem pertinere

istas computationes &c.

SVSTENTATIO est figura, quæ prius auditorum animos suspendit, deinde nouum aliquid, aut inexpectatum subiungit. Plerunq; cum Subiectione miscetur.

Cic. 3. in Verrem. Cognitorem adscribit Sthenio. Quem? Cognatum aliquem, aut propinquum? Non. Thermitanum aliquem honestum hominem, ac nobilem? Ne id quidem. Quid igitur? Ciuem Romanum, *ipsius Stheny inimicum.*

Idem 7. in eundem Verrem, qui Leonidæ seruos coniurationis damnatos accepta pecunia dimiserat. Etiamnum mihi expectare videmini Iudices, quid deinde factum sit? Quod iste nihil vnquam facit sine aliquo quæstu, atque præda. Quid in eiusmodi re fieri potuit? Quod commodum est? Expectate facinus, quàm vultis, improbum, vincam tamen expectationem omnium. Nomine sceleris, coniurationisq; damnati, ad supplicium traducti, ad palum alligati, repentè multis millibus hominum inspectantibus soluti sunt, & Leonidæ illi domino redditi.

Latinus Pacatus in Paneg. Theodosij Patrem laudaturus. Sed quid faciam? Nouam quandam patior ex copia difficultatem. Quid inquam faciam? Quæ Rhenus, aut Vacalis vidit ag-

gre-

grediar? Iam se mihi Sarmatica cæde sanguineus Ister obijciet. Attritam pedestribus prælijs Bataviam referam? Saxo consumptus bellis naualibus offeretur. Redactum ad paludes suas Scotum loquar? Compulsus in solitudines auias omnis Alemanus, & vterque Maurus occurret. Cùm igitur impediat turba delectum, atque tam præstet gesta in summam referre, quàm enumerando tenuari, dixisse sufficiat, vnum illum diuinitus extitisse; in quo virtutes simul omnes vigerent, quæ singulæ in omnibus prædicantur.

DVBITATIO est, cùm velut in ancipiti pendentes quærimus, quid dicendum, aut agendum.

Cic. pro P. Quint. Quid agendum est? Quis Deus appellandus est? Cuius hominis fides imploranda est? Qui denique questus, qui mæror dignus inueniri in calamitate tanta potest?

Scipio apud Liuium seditiosos milites alloquens. Apud vos quemadmodum loquar nec consilium, nec oratio suppeditat, quos nec quo nomine quidem appellare debeam scio. Ciues? qui à Patria vestra desciuistis. An milites? Qui imperium, auspiciumque abnuistis, Sacramenti religionem rupistis. Hostes? Corpora, ora, vestitum, habitum ciuium agnosco: facta, dicta,

dicta, consilia, animos hostium video?

Plinius in Paneg. Traiani. Tuam verò magnanimitatem, an modestiam, an benignitatem priùs mirer?

Apud Senecam Andromacha, Filij vita, & Viri cineribus metuens.

Quid agimus? Animum distrahit geminus timor:
Hinc gnatus, illinc coniugis chari cinis.
Pars vtra vincet? &c.

Patheticam dubitationem vide in Tro. Act. 3.

COMMVNICATIO est Figura, qua vel Auditores, vel Aduersarios, vel Iudices consulere videmur.

Cic. vlt. in Verrem. Quid agam Iudices? Quo accusationis meæ rationem conferam? Quo me vertam?

Idem pro A. Cecinna. Quæro, si te hodie domum tuam redeuntem coacti homines, & armati, non modò limite, tectoque ædium tuarum, sed primo aditu, vestibuloque prohibuerint, quid acturus sis?

Pro C. Rabirio. Quid tandem C. Rabirio faciendum fuit? De te, inquam, Labiene quæro: Cùm ad arma Consules ex S. C. concurrissent, quid tandem C. Rabirio facere conuenit?

Latinus Pac. in Paneg. Theod. in integro itaque rem totam esse faciamus,

mus, & in quodam orbis comitio quæri putemus, quis nam sit ille, qui debeat tantam molem subire, & nutantia Romanæ rei fata suscipere. Nonne is omnium suffragijs hominum tributim, centuriatimque legeretur, cui felix Patria, cui domus clara, cui forma diuina, cui ætas integra, cui militarium, ciuiliumque rerum vsus contigisset?

CONCESSIO est, cùm aliquid causæ nostræ fiducia concedimus.

Cic. pro Flacco. Tribuo Græcis literas, do multarum artium disciplinam, non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam: denique etiam si qua sibi alia sumunt, non repugno; testimoniorum religionem, & fidem nunquam ista natio coluit.

Idem pro Murena ad Catonem, quem ipsi Murenæ confert. Sed hæc sanè sint paria omnia. Sit par forensis operæ militari: sit par militari suffragatio vrbana. Sit idem magnificentissimos, & nullos vnquam fuisse ludos. Quid in ipsa Prætura? Nihil ne existimas inter tuam, & istius sortem interfuisse?

Exprimitur hæc Figura huiusmodi verbis. *Do. Concedo. Non inficior. Scio &c.* Sæpius etiam modis permissiuis. *Esto. Sit ità &c.* Non raró ad deterrendum, dissuadendum, vel

arguendum adhibetur; tuncque dissimulationis plena esse solet.

Cic. pro Flacco. Litemus ergo Lentulo, parentemus Cethego, reuocemus eiectos; nimiæ pietatis, & summi amoris in Patriam vicissim nos pœnas, si ita dijs placet, demus.

In Verrem 4. Verùm esto. Eripe hæreditatem propinquis, da palæstritis. Prædare in alienis bonis nomine ciuitatis: euerte leges, monumenta, voluntates mortuorum, iura viuorum. Num etiam Heraclium bonis exturbare oportuit?

Apud Virgil. lib. 7. Æneid. Alecto, Turnum alloquens.

I nunc, ingratis offer te irrise periclis;
Tyrrhenas insterne acies, tege pace Latinos.

CORRECTIO est Figura, quæ superiùs dicta vel redarguit, vel immutando, emendat.

Cic. in Cat. pr. Cùm priùs exilium Catilinæ suasisset communis in eum odij exaggeratione, hanc subdit Correctionem.

Quanquam quid loquor? Te vt vlla res frangat? Tu vt vnquam te corrigas? Tu vt vllam fugam meditere? Vt vllum tu exilium cogites?

Ibidem. Secerne te à bonis: infer

Pa-

Patriæ bellum: exulta impio latrocinio, vt à me non eiectus ad alienos, sed inuitatus ad tuos isse videaris. Quanquam quid ego te inuitem, à quo iam sciam esse præmissos, qui tibi ad forum Aurelium præstolarentur armati?

In Verrem 5. Non enim furem, sed raptorem: non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ: non sacrilegum, sed hostem sacrorum, religionumque: non sicarium, sed crudelissimum carnificem ciuium, sociorumque in vestrum iudicium adduximus.

Ad Atticum. In hoc ferendus meus error: ferendus inquam? Immò etiam adiuuandus.

Philipp. 14. Nunquam in ciuili bello supplicatio decreta est. Decretam dico? Ne victoris quidem literis postulata est.

LICENTIA est maior quadam, non tamen sine causa, & modo, loquendi libertas. Seu est liberiùs pronuntiata sententia, monendi, obiurgandi, aut etiam laudandi causâ. Hac Orator authoritatem, fiduciam, vel sinceritatem ostendit.

Cic. pro Lig. Non deest consilium Reip., neque authoritas huius ordinis. Nos nos dico apertè Consules desumus.

Cic. pro Roscio. Et forsitan in suscipienda causa temerè impulsus adolescentia fecerim; quoniam quidem semel suscepi, licet hercule vndique omnes in me terrores, minæ, periculaque impendeant omnia, succurram, atque subibo. Certum est, deliberatumque quæ ad causam pertinere arbitror, omnia non modò dicere; verùm etiam, libenter, audacter, liberè dicere. Nulla res tanta existat, Iudices; vt possit vim mihi maiorem adhibere metus, quàm fides.

Scipio Africanus apud Liuium. Equidem haud dissimulo me tuas, Q. Fabi laudes non assequi solùm velle; sed (bona venia dixerim) si possim, exuperare.

At huius Figuræ vsus quandam requirit in dicente grauitatem. Cauendum quoque, ne nimia, & importuna loquendi libertas offensiones pariat. Quamobrem opus est, locum, tempus, ac personas considerare; ac si quid grauius dicturi sumus, tutius est insinuationem præmittere, aut aliqua excusatione, seu mitiori loquendi modo temperare Licentiam.

Hac arte vtitur Cicero pro Ligario, summa calliditate Cæsarem deliniens, cuius clementiam primùm extollit; vt odiosam alioqui veritatem liberè

fa-

fateatur: se videlicet aduersa quondam illi arma secutum fuisse.

Cuius ego causam (*scilicet Q. Ligarij*) animaduerte quæso, qua fide defendam, cùm prodo meam. O clementiam admirabilem, atque omni laude, prædicatione, literis, monumentisque decorandam! M. Cicero apud te defendit alium in ea voluntate non fuisse, in qua se ipsum confitetur fuisse: nec tuas tacitas cogitationes extimescit, nec quid tibi de alio audienti, de se ipso occurrat, reformidat. Vide, quàm non reformidem. Vide, quanta lux liberalitatis, & sapientiæ tuæ mihi apud te dicenti oboriatur. Quantùm potero voce contendam; vt hoc Populus Romanus exaudiat. Suscepto bello, Cæsar, gesto etiam magna ex parte, nulla vi coactus, iudicio meo, ac voluntate ad ea arma profectus sum, quæ erant sumpta contra te.

PRÆOCCVPATIO est Figura, qua prauenimus, ac diluimus, quod nobis obijci posset. Priùs ergo, quod causæ nostræ aduersatur, exponendum; immò quandoque (si pro nobis validiora certent argumenta) amplificandum, hinc refellendum; vel negando, vel infirmando, vel rei rationem reddendo.

Cic. 2. in Catilinam. Cùm superiùs exultasset eo in exilium pulso, qui po-

tiùs vt Patriæ proditor capite plectendus videbatur, hoc, quod obijci poterat, ita præoccupat, ac dissoluit.

At si quis est talis, quales esse omnes oportebat, qui in hoc ipso, in quo exultat, & triumphat oratio mea, me vehementer accuset, quòd tam capitalem hostem non comprehenderim potiùs quàm emiserim, non est ista mea culpa Quirites, sed temporum &c.

Pro Archia Poeta. Quæret quispiam. Quid? Illi ipsi summi viri, quorum virtutes literis proditæ sunt, istane doctrina, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt? Difficile est hoc de omnibus affirmare, sed tamen est certum, quid respondeam. Ego multos homines excellenti animo, ac virtute fuisse, & sine doctrina, naturæ ipsius habitu propè diuino, per se ipsos, & moderatos, & graues extitisse fateor; Etiam illud adiungo, sæpiùs ad laudem, atque virtutem, naturam sine doctrina, quàm sine natura valuisse doctrinam. Atque id ego contendo, cùm ad naturam eximiam, atque illustrem, accesserit ratio quædam, conformatioque doctrinæ, tum illud nescio quid præclarum, ac singulare solere existere.

In Verrem 3. Dicet aliquis. Quid ergo in hoc Verrem reprehendis, qui non modo ipse fur non est, sed ne alium

qui-

quidem passus est esse? Attendite: iam intelligetis hanc pecuniam, qua via modò visa est exire ab isto, eadem semita reuertisse.

Ibidem. Ergo inquiet aliquis, donauit populo Syracusano illam hæreditatem. Primùm, si id confiteri velim, tamen istum condemnetis necesse est; neque enim permissum est, vt impunè nobis liceat, quod alicui eripuerimus, id alteri tradere &c.

Figura secundi Ordinis.

DESCRIPTIO *est Figura, qua ita res exprimit, vt subijcere oculis videatur*. Subijci oculis res videntur, cùm earum partes, causæ, effectus, adiuncta explicantur. De his agam inferiùs in tractatu de Locis Topicis, à quibus hauriuntur Descriptiones: quamobrem post eorum explanationem de varijs Descriptionum speciebus plura opportuniùs tradam.

Frequentissimus est huius Figuræ vsus non solùm apud Oratores, ac Poetas, verùm etiam apud Historicos.

Cic. 2. de lege Agraria Rullum Trib. plebis ita describit. Iam designatus alio vultu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur; vestitu obsoletiore, corpore inculto, & horrido, capillatior,

tior, quàm antea, barbaque maiore; vt oculis, & aspectu denuntiare vim Tribunitiam, & minitari Reip. videretur.

Latinus Pacatus in Paneg. Theod. cædem exercitus ita subijcit oculis: Datur debito rebelle agmen exitio: voluuntur impiæ in sanguine suo turmæ: tegit totos strages vna campos, continuisque funeribus cuncta latè operiuntur. Iam qui ad muros differenda morte properauerant, aut fossas cadaueribus æquabant, aut obuijs sudibus induebantur, aut portas, quas eruptione patefecerant, morte claudebant. At quorum se fugæ imperuius ripis amnis obiecit, trepidando collecti, & alterum quisque complexi per abrupta glomerantur. Spumat decolor cruore fluuius, & cunctantes meatus vix eluctatis cadaueribus euoluit.

Q. Curtius Marsiam amnem describit lib. 3. Fons eius ex summo montis cacumine excurrens in subiectam petram magno strepitu aquarum cadit; inde diffusus circuniectos rigat campos liquidus, & suas duntaxat vndas trahens. Itaque color eius placido mari similis locum Poetarum mendacio fecit: quippe traditum est Nymphas amore amnis retentas in illa rupe considere. Cæterùm quandiu intra mu-

ros fluit, nomen suum retinet; at cùm extra munimenta se euoluit, maiore vi, ac mole agentem vndas Lycum appellant.

Claudianus de nuptijs Honorij, & Mariæ, Augustæ Sponsæ formam ita describendo commendat

Quanuis aliena fuisses
Principibus, regnum poteras hoc ore mereri.
Quæ propior sceptris facies? Quis dignior aula.
Vultus erit? Non labra rosæ, non colla pruinæ,
Non crines æquant violæ, non lumina flammæ.
Quàm vincto leuiter se se discrimine confert
Vmbra supercilij? Miscet quàm iusta pudorem
Temperies, nimio nec sanguine candor abundat!
Auroræ vincis digitos, humerosque Dianæ.
Ipsam iam superas matrem &c.

Valet Descriptio ad res explicandas, ad ornandam, ac dilatandam Orationem; laudemque habet, si non frustra, si non intempestiuè, si non passim ex ingenij libidine inducatur.

INTERBRETATIO est verborum, vel sententiarum rem eandem incul-

cantium multiplicatio. Fit ergo aut pluribus tantùm verbis;vt *Cic.in Cat.*2. Abijt, excessit, erupit, euasit. Aut pluribus sententijs, seu clausulis. *Idem pro Mil.* est enim hæc Iudices non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus; verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus.

Duplex apud Carbonem *INTERPRETATIO* est. Alia, quæ multa similis significationis adhibens idem dicit; vt in superioribus exemplis. *SYNONYMIAM*, vel *EPEXEGESIM* Græci appellant,atque hanc vnam Interpretationis speciem memorat Author ad Herennium lib. 4.

Alia est, quæ dictum aliquod explanat, illius sensum euoluendo. Exegesis, & Hermenia Grecè vocatur. (a)

Ausonius Gratiani epistolam, quàm is illi scripserat Consulatum deferens, egregiè interpretatur, singula verba expendendo.

Verba sunt literarum tuarum, quibus apud me authoritatem summi Numinis, & tuæ voluntatis amplificas: Sic enim loqueris &c. *Cùm de Consulibus in annum creandis.* Erudita vox; &

a *Carbo lib.pr. de eloc. Orat. disp.*3.

& cura solennis! *Solus mecum volutarem*. O profundi altitudo secreti! Habes ergo consiliatorem, & non metuis proditorem. *Vt me nosti*. Quid familiarius? *Vt facere debui.* Quid constantius? *Vt velle te sciui*. Quid dici blandius potest? *Consilium meum ad Deum retuli*. Et quemadmodum solus, cui præstò est tam grande consilium? An pleniùs cum Senatu, cùm Equestri Ordine, cum Plebe Romana, cum Exercitu tuo, & Prouincijs omnibus deliberasses? *Consilium meum ad Deum retuli*. Non vt (credo) nouum sumeres, sed vt sanctius fieret, quod volebas &c.

Hæc tamen *INTERPRETATIO*, siue *EXEGESIS*, cum *EXPOLITIONE* conuenit. Synonymia leuis admodum Figura est, si verbis tantùm mutatis idem omnino dicat; nec frustra in Oratione adhibenda, nisi vim habeat rei magis explicandæ, augendæ, vel ornandæ. Tum verò si prolixior sit, & sententiarum, Figurarumq; varietate illustretur, migrat pariter in *EXPOLITIONEM*, de qua postmodum agam. Quanuis nescio, an hæc peculiaris, quædam Figura dici debeat, cùm sit potiùs species Amplificationis elegantissima, qua rem eandem variè versamus, Oratori perutilis, ac ex Tullio necessaria.

Hanc alij Suffigurationem, alij Commorationem, Immorationem, Energiam vocant. Equidem Interpretationem Expolitionis, Expolitionem plenæ, absolutæque Amplificationis rudimentum appellauerim.

EXPOLITIO est Oratio, vnam, eandemque rem varijs Figuris, dicendique modis explicans, & exornans.

Cic. clementiam Cæsaris erga M. Marcellum commendans. At huius gloriæ C. Cæsar, quam es paulò ante adeptus, socium habes nullum. Totum hoc, quantuncunque est, quod certè maximum est, totum est, inquam, tuum. Nihil sibi ex ista laude Centurio, nihil Præfectus, nihil Cohors, nihil Turma decerpit. Quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina Fortuna in istius se societatem gloriæ non offert; tibi cedit: tuam esse totam, & propriam fatetur.

Ecce quàm variè hoc vnum Cicero explicat. *Tota huius facti gloria Cæsar tua est.*

Idem pro Sexto Roscio huic Sententiæ expoliendæ immoratur.

Quisque conscientia sui sceleris torquetur.

Nolite enim putare, quemadmodum in Fabulis sæpenumero vidistis, eos, qui aliquid impiè, sceleratèque com-

commiserint, agitari, & perterreri Furiarum tædis ardentibus. Sua quenque fraus, & suus error maximè vexat: suum quenque scelus agitat, amentiaque afficit: suæ malæ cogitationes, conscientiæque animi terrent. Hæ sunt impijs assiduæ, domesticæque Furiæ, quæ dies, noctesque parentum pœnas à consceleratissimis filijs repetunt &c.

Plinius in Paneg. Traiani pluribus modis hanc sententiam exornat.

Facilè monemur Principis exemplo.

Flexibiles quancunque in partem ducimur à Principe, atque (vt ita dicam) sequaces sumus: huic enim chari, huic probari esse cupimus, quod frustra sperauerunt dissimiles; eòque obsequij continuatione peruenimus, vt propè omnes homines vnius moribus viuamus.

Nam vita Principis censura est, eaque perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur, nec tam imperio nobis opus est, quam exemplo. Quippe infidelis recti magister est metus: meliùs homines exemplis docentur, quæ in primis hoc in se habent boni, quòd approbant, quæ præcipiunt, fieri posse.

Idem mansuram Principis gloriam non splendidis monumentis, at Virtute firmari ostendit per Expolitionem.

Scis enim, vbi vera Principis, vbi sem-

ſempiterna ſit gloria, vbi ſint honores, in quos nihil flammis, nihil ſenectuti, nihil ſucceſſoribus liceat; Arcus enim, & ſtatuas, aras etiam, templaque demolitur, & obſcurat obliuio, negligit, carpitque poſteritas. Contra contemptor ambitionis, & infinitæ poteſtatis domitor, ac frænator animus ipſa vetuſtate floreſcit, nec ab vllis magis laudatur, quàm quibus minimè neceſſe eſt. Præterea, vt quiſque factus eſt Princeps, extemplò fama eius, incertùm bona, an mala, cæterùm æterna eſt. Non ergo perpetua Principi fama, quæ inuitum manet, ſed bona concupiſcenda eſt. Ea porrò non imaginibus, & ſtatuis, ſed virtute, ac meritis prorogatur.

INCREMENTVM eſt Figura, quâ ſemper Oratio creſcit ab infimo ad ſummum. Cic. pro Milone. Capere eius amentiam Ciuitas, Italia, Prouinciæ, Regna non poterant.

Idem in Verrem 9. Facinus eſt vincire ciuem Romanum, ſcelus verberare, parricidium necare, quid dicam in crucem tollere?

GRADATIO eſt Figura, quaſi per gradus procedens ab vno ad aliud, ita vt ſemper aliquid ex præcedentibus repetat.

Cic. pro Sexto Roſcio. In vrbe luxuria

ria creatur, ex luxuria existat auaritia necesse est, ex auaritia erumpat audacia: inde omnia scelera, & maleficia gignuntur.

Idem pro Mil. Neque verò se Populo solùm, sed etiam Senatui commisit; nec Senatui modò, sed etiam publicis præsidijs, & armis; neque his tantùm, sed etiam eius potestati, cui Senatus totam Remp. commisit.

Idem pro Quint. Si debuissem Sexte, petisses statim; si non statim, paulò quidem post; si non paulò post, at aliquando.

CONGERIES est plurium rerum collectio, quæ quasi vno impetu Orationis conuoluuntur, nullo seruato ordine dignitatis, aut significationis. Grauem, & vehementem facit Orationem, & maximè iuuat, cùm pluribus iam dictis adhuc plura dicenda remanent, nec præstat ire per singula; per Congeriem enim multa, & varia paucis colliguntur.

Cic. pro Mil. Tu Clodij cruentum cadauer eiecisti domo, tu in publicum eiecisti, tu spoliatum imaginibus, exequijs, pompa, laudatione, infelicissimis lignis semiustulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquisti.

Idem pro M. Cælio de Clodio loquens: Hominem sine re, sine fide, sine spe, sine

sine fortùnis, ore, lingua, manu, vita omni inquinatum.

Pro Sex. Roscio. Pater occisus nefariè: domus obsessa: ab inimicis bona adempta: possessio direpta: filij vita infesta; sæpe ferro, atque insidijs appetita.

DISTRIBVTIO est Figura, pluribus rebus, aut personis quidquam peculiare, ac proprium impertiens.

Cic. pro lege Manil. de Pompeio. Non auaritia ab instituto cursu ad prædam aliquam reuocauit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas vrbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem.

Ibidem. Non enim illæ sunt solæ virtutes Imperatoriæ, quæ vulgò existimantur, labor in negotio, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo.

Plin. in Paneg. Tra. Reddita est amicis fides, liberis pietas, obsequium seruis: verentur, & parent, & dominos habent.

Ibidem de publico gaudio in Traiani aduentu. Te paruuli noscere, ostentare iuuenes, mirari senes: ægri quoque neglecto medentium imperio ad conspectum sui, quasi ad salutem, sa-

ni-

nitatemque properare. Inde alij se satis vixisse te viso, te recepto: alij nunc magis esse viuendum prædicabant. Fœminas etiam tunc fœcunditatis suæ maxima voluntas subijt, cùm cernerent, cui Principi ciues, cui Imperatori milites peperissent.

Aliqui Distributionem sumunt pro simplici diuisione totius in partes: At si tantùm hac ratione sumatur, non differt à Loco Enumerationis partium.

PRÆTERITIO est simulata reticentia, qua fingimus nos omittere velle, quæ tunc maximè dicimus.

Cic. in Cat. pr. Prætermitto ruinas fortunarum tuarum, quas impendere tibi proximis Idibus senties.

Pro lege Manilia. Sinite hoc loco Quirites, sicuti Poetæ solent, qui res Romanas scribunt, præterire me nostram calamitatem.

De Prouincijs Consularibus Pisonis vitia per Prateritionem recenset.

Itaque omnia illa, quæ & sæpe audistis, & tenetis animis, etiamsi non audiatis, prætermitto. Nihil de hac eius vrbana, quam ille præsens in oculis vestris, mentibusque defixit, audacia loquor; nihil de superbia, nihil de contumacia, nihil de crudelitate disputo. Lateant libidines eius illæ tenebricosæ, quas fronte, & supercilio, non

non pudore, & temperantia contegebat.

In Verrem 3. Omnia præteribo, quæ mihi turpia dictu videbuntur; neque solùm, quid istum audire, verùm etiam, quid me dicere deceat considerabo. Vos quæso date hoc, & concedite pudori meo, vt aliquam partem de istius impudentia reticere possim. Omne illud tempus, quod fuit antequam iste ad magistratus, Remque publicam accessit, habeat per me solutum, ac liberum. Sileatur de nocturnis eius bacchationibus, ac vigilijs: lenonum, aleatorum, productorum nulla mentio fiat. Damna, dedecora, quæ res Patris eius, ætas ipsius pertulit, prætereantur: lucretur indicia veteris infamiæ: patiatur eius vita reliqua, me hanc tantam iacturam criminum facere.

Scipio apud Liuium. Horret animus referre, quid crediderint homines, quid sperauerint, quid optauerint. Auferat omnia irrita obliuio, si potest; si non, vtcunque tegat silentium.

Aliquos habet dicendi modos Præteritio, quibus variari solet. *Ex. gr. Taceo. Prætereo, Omitto. Nil dicam, Missa faciam, Silentio inuoluam. Dicere pudet. Quid me attinet dicere? Nolite expectare, dum singula reuoluam.*

luam. Per me lateant illa. Nolo dolorem commemorando augere: Pudet referre. Horreo in memoriam reuocare. Nollem recordari. Nondum commemoro. Quid est cur dicam? Quid si nunc ea repeterem? Quot, & quanta reuoluerem, si liceret? Me dies, vox, latera deficiant, si omnia persequi velim &c.

Hanc Figuram Tullius Reticentiam vocat; sed à vera Reticentia differt, quòd hæc supprimit, quæ dicere vellet: Præteritio tantò plus dicit, quantò magis dicere nolle se fingit; quare simulata Reticentia est.

CONTRAPOSITVM, Græcè *ANTITHESIS*, *est oppositorum contentio*: Fit autem aut verba verbis, aut sententias sententijs opponendo.

Cic. pro Clu. Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.

In Verrem 6. Conferte hanc pacem cum illo bello; huius Prætoris aduentum cum illius Imperatoris victoria; huius cohortem impuram cum illius exercitu inuicto; huius libidines cum illius continentia. Ab illo, qui cepit, conditas, ab hoc, qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas.

Author ad Herennium. Ego Reges eieci: vos Tyrannos introducitis. Ego libertatem, quæ non erat, peperi; vos par-

partam seruare non vultis. Ego capitis mei periculo Patriam liberaui: vos liberi sine periculo esse non curatis.

Iust. histor. lib. 9. Philippum, & Alexandrum comparans. Huic Alexander successit & virtute, & vitijs Patre maior. Itaque vincendi ratio vtrique diuersa. Hic aperta vi; ille artibus bella tractabat. Deceptis ille gaudere hostibus; hic palam fusis. Prudentior ille consilio; hic animo magnificentior. Iram Pater dissimulare, plerunque & vincere; hic vbi exarsisset, nec dilatio vltionis, nec modus erat. Vini nimis vterque auidus, sed ebrietatis diuersa vitia. Patri mos erat, & de conuiuio in hostem procurrere, manum conserere, periculis se temerè offerre. Alexander non in hostem, sed in suos sæuiebat: quamobrem Philippum sæpè vulneratum prælia remisere; hic amicorum interfector conuiuio frequenter excessit. Regnare ille cum amicis volebat; hic in amicos regna exercebat; amari Pater malle; hic metui &c.

IMPOSSIBILE est comparatio eorum, quæ fieri non possunt cum ijs, quæ fieri non posse, vel non debere censemus.

Cic. Philipp. 13. Priùs vndæ, & flammæ in gratiam redeant, quàm cum Antonio Resp.

Sæ-

Sæpiùs à Poetis, quàm ab Oratoribus adhibetur.

1 *Virg. Ecl. pr.* Ante leues ergo pascentur in æthere cerui.

Et freta destituent nudos in litore pisces;

Quàm nostro illius labatur pectore vultus.

Ouidius in Ibin.

Desinet esse priùs contrarius ignibus humor,

Iunctaq; cū Luna lumina Solis erunt,

Et Ver Autumno, Brumæ miscebitur Æstas,

Atq; eadem regio vesper, & ortus erit,

Quàm mihi sit tecum positis, quæ sumpsimus, armis,

Gratia, cōmissis improbe rupta tuis.

Impossibile vox minimè recepta ab aureæ Latinitatis Patribus, adeò, vt Cicero Græcè potius dixerit *Adynaton*. Eam tamen adhibet Quintilianus. *Lib. 5. cap. 10. Inst. Orat.* Ego tantùm eadem vtor, cùm vim habet nominis proprij, seu Figuræ, seu Argumenti ab Impossibili; nè Latinæ loquens duriori circumlocutione vtar: *ab eo, quod fieri non potest*.

PARADOXVM *est dictum mirabile præter communem opinionem*. Huiusmodi sunt illa. Regnum nihil aliud est, quàm splendida seruitus. Plures

occidit gula, quàm gladius.

Sen. Mor. Nusquam est, qui vbique est. Non qui parum habet; sed qui plus cupit, pauper est.

EMPHASIS est Figura, plus significans, quàm dicit.

Sen. Trag. in Medea de Argonautarum nauigatione loquens.

Quod fuit huius
Pretium cursus? Aurea pellis,
Maiusque mari Medea malum,
Merces prima digna carina.

Quæ si explicare velis, mirum est, quot, & quanta paucis significent: hoc est adeò barbaram, sceleratam, impiam fuisse Medeam, vt ipso mari, quo nihil magis infidum, ac immane, totque nauigationis malis peior esset, naui temerariæ non impar fœmina.

Plinius in Paneg. Tam velox Cæsar potentia tua est, tamque in omnia pariter intenta bonitas, & accincta: vt tristius aliquid seculo tuo passis ad remedium, salutemque *sufficiat, vt scias.*

Latinus Pac. de Theodosio. Angustè Imperator fortunam tuam expendit quisquis id de te tantùm, *quod fieri potest, credit.*

Idem per Emphases ostendit, quàm inuisa esset priscis Romanis dominantium superbia.

Nam cùm indiscreta felicium pedisequa

ſequa ſit ſuperbia, vix cuiquam contigit & abundare fortuna, & indigere arrogantia. Cuius quidem ita maiores noſtros ſemper pertæſum eſt, vt grauiorem ſemper putauerint *ſeruitute contemptum*; eiuſque impatientia ſint coacti poſt bellatores Tullos, Numaſque ſacrificos, & Romulos conditores, Regnum *vſque ad nomen odiſſe*. Denique ipſum illum Tarquinium *execratione poſtrema* hoc damnauerunt maledicto; & hominem libidine præcipitem, auaritia cæcum, immanem crudelitate, furore vecordem, vocauerunt *ſuperbum, & putauerunt ſufficere conuitium*.

Vim Emphaſis maximam habent pronomina, & nomina propria.

Ouidius 4. de Ponto. Ille Iugurthino clarus, Cymbroque triumpho,
Quo victrix toties Conſule Roma fuit.

Et Medea apud Senecam. Hæc facere *Iaſon* potuit? *Medea* fugiam?

EPIPHONEMA eſt rei narratæ, vel probatæ ſubiecta ſententia.

Cicero, vbi multis exaggerauit mitem in ipſa victoria Cæſaris animum, & clementiam erga M. Marcellum, ita concludit.

Rectè igitur vnus inuentus es, à quo etiam ipſius victoriæ conditio, viſque deuicta eſt. La-

Latinus Pacatus post laudatam Theodosij modestiam, ac temperantiam, quibus virtutibus, absque metu legum, suorum mores correxerat, hanc subdit sententiam.

Sic enim, sic est. Exasperat homines imperata correctio: blandissimè iubetur exemplo.

Virgilius 3. *Georg.*, vbi equos cursu certantes descripsit.

Tantus amor laudum, tantæ est
victoria curæ.

*Idem Æneid.pr.*enarratis Troianorum ærumnis.

Tantæ molis erat Romanam
condere gentem.

Figura tertij Ordinis.

APOSTROPHE *est conuersio sermonis ad aliquem.* Notissima Figura, efficax quidem, & affectibus aptissima. Hac Deum, superos, homines mortuos etiam, & ratione, sensuque carentia compellamus.

Cic. pro M. Cælio sermonem vertit ad Deos: Proh Dij immortales, cur interdum in hominum sceleribus maximis, aut conniuetis, aut præsentis fraudis pœnas in dies reseruatis?

Pro M. Marcello ad Cæsarem. Te verò, quem præsentem intuemur; cuius

cuius mentem, sensusque, & os cernimus, vt quidquid belli fortuna reliquum Reip. fecerit, id esse saluum velis, quibus laudibus efferemus? quibus studijs prosequemur; qua beneuolentia complectemur? Parietes, medius fidius, C. Cæsar, vt mihi videtur, huius curiæ tibi gratias agere gestiunt, quòd breui tempore futura sit illa authoritas in his maiorum suorum, & suis sedibus &c.

Pro Sextio ad adolescentes, quos excitat maiorum exemplo ad rectè gerenda Reip. studium. Hæc imitamini per Deos Immortales, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quæritis. Hæc ampla sunt, hæc diuina, hæc immortalia. Hæc fama celebrantur, monumentis annalium mandantur, posteritati propagantur.

In Cat. pr. ad Iouem. Tum tu Iuppiter, qui iisdem, quibus hæc Vrbs, auspicijs à Rumulo es constitutus, quem Statorem huius Vrbis, atque Imperij verè nominamus, hunc, & huius socios à tuis aris, cæterisque templis; à tectis vrbis, ac mœnibus; à vita, fortunisque Ciuium omnium arcebis &c.

Idem ad Milites Legionis Martiæ strenuè pro Rep. vita defunctos grauissimam habet Apostrophem, Philippica vltima circa finem.

Virgilius post narratam Euryali, & Nisi mortem vtrunq; Apostrophe compellat. (a) Apud eundem Æneas Patris cineres, (b) Mezentius equum, (c) Dido suas vestes alloquuntur. (d)

Elegantissimè Latinus Pacatus laudata Theodosij clementia in victos, post Maximum debellatum, ad Vrbem Romam ita se vertit.

Spectabas hæc à tuis collibus Roma, & septena arce sublimis celsior gaudio ferebaris. Tu, quæ experta Cinnanos furores, & Marium post exilia crudelem, & Syllam tua clade felicem, & Cæsarem in mortuos misericordem, ad omne ciuilis motus classicum tremiscebas. Quæ, præter stragem militum, vtraque parte tibi pereuntium, extincta domi Senatus tui lumina, suffixa pilo Consulum capita, Catones in mortem coactos, truncosque Cicerones, & Pompeios fleueras insepultos. Cui damna grauiora scissus in partes ciuium furor, quàm portis imminens Pœnus, aut receptus muris Gallus intulerat: cui Alliensi die Æmathia funestior, Cannis Collina feralior tam altas olim reliquerunt cicatrices; vt grauiùs semper tuam, quàm alienam experta virtutem nihil tibi magis, quàm te timeres. Vidisti ciuile bellum hostium cæde,

a *Lib.* 9. *Æne.* b *Lib.* 5. c *Lib.* 10. d *Lib.* 4.

cæde, militum pace, Italiæ recuperatione, tua libertate finitum. Vidisti inquam finitum ciuile bellum, cui decernere posses triumphum.

EXCLAMATIO est vehementioris affectus expressio, per alicuius personæ, vel rei compellationem. Fit autem vel interiectione adhibita, vel absque vlla interiectione.

Cic. in Pis. O scelus, o pestis, o labes!

Pro Cælio. O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas omnium insidias facilè se per se ipsa defendit!

Philipp. 14. O Solem ipsum beatissimum, qui, antequam se abderet, stratis cadaueribus parricidarum, cum paucis fugientem vidit Antonium!

Virg. Ecl. 2. Fortunate Senex! Ergo tua rura manebunt.

In vsu huius Figuræ hæc animaduertenda rectè admonet Carbo *De eloc. Orat. l. pr. disp.* 20. Tunc adhiberi debet, cùm rei magnitudo postulat, cùm rem maioris momenti probaueris, & Auditorum animos commoueris: quare in Amplificationibus, & Epilogis locum habet. Sed in re frigida exclamare, leuiora quæque ab exclamatione exordiri dementium est. Denique huius

Figuræ vſus nec frequens eſſe debet, nec diuturnus.

DEPRECATIO eſt ſupplex poſtulatio, qua vtimur ad alienam opem implorandam.

Cic. pro Ligario ad Cæſarem. Ad Iudicem ſic agi ſolet: ſed ego ad Parentem loquor. Erraui, temerè feci; pœnitet; ad clementiam confugio; vt ignoſcas oro.

Medea apud Sen.

Adeſte, adeſte ſceleris vltrices Deæ,
Crinem ſolutis ſqualidæ ſerpentibus:
Atram cruentis manibus amplexæ facem &c.

Eadem Creontem alloquens.

Per ego inauſpicatos Regij thalami thoros,
Per ſpes futuras, perque Regnorum ſtatus,
Fortuna varia dubia quos agitat vice,
Precor, breuem largire fugienti moram.

IMPRECATIO eſt execratio quædam, qua malum alicui precamur: ex. gr. ex Cic. pro Deiotaro. Dij te perdant fugitiue. Diſpereas hominum ſceleſtiſſime &c. Exempla non deerunt apud Ouidium in Ibin.

Terra

Terra tibi fruges, amnis tibi deneget vndas;
Deneget afflatus ventus, & aura suos.

Absit vt à cordibus, ità & à calamis, & linguis nostris hæc Figura; nisi fortè illius vsum alicuius facinoris atrocitas in scelestissimos, & impios extorqueat, vel sceleribus ipsis irascamur.

Gallus huc etiam faustas precationes refert. *Æneid. pr.* Æneas ad Didonem.

Dij tibi (si qua pios respectant numina, si quid
Vsquam iustitiæ est, & mens sibi conscia recti)
Præmia digna ferant &c.

Sed Optationem potiùs, & Votum Orationem eam appellauerim, qua vel nobis, vel alijs bene precamur.

OMINATIO est Figura, qua ventura vel bona, vel mala, quasi vaticinando, prædicimus.

Cic. pro M. Marcello ad Cæsarem: Obstupescent posteri certè, Imperia, Prouincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera, triumphos audientes, & legentes tuos. Sed nisi hæc Vrbs stabilita tuis consilijs, & institutis erit, vagabitur modò nomen tuum longè, atque latè; sedem quidem stabilem, & domicilium cer-

tum non habebit. Erit inter eos etiam qui nascentur, sicut inter nos fuit, magna dissensio; cùm alij laudibus ad Cælum res tuas gestas efferent: alij fortasse aliquid requirent, idque vel maximum, nisi belli ciuilis incendium salute Patriæ restinxeris; vt illud fati fuisse videatur, hoc consilij.

Plinius in Paneg. ad Traianum. Veniet ergo tempus, quo posteri visere, visendum tradere minoribus gestient; quis sudores tuos hauserit campus, quæ refectiones tuas arbores, quæ somnum saxa prætexerint, quod denique tectum magnus hospes impleueris &c.

RETICENTIA est Figura, qua præcidimus Orationem, & supprimimus quod dicturi videbamur. Adhibetur hæc Orationis abruptio in grauioribus maximè commotionibus.

Cic. ad Att. O celeritatem incredibilem! huius autem nostri. Sed non possum sine dolore accusare eum, de quo angor, & crucior.

Mnestheus apud Virg. lib. 5. Æneid. in nautico certamine.

Non iam prima peto Mnestheus, neque vincere certo.
(Quanquam ò!) sed superent, quibus hoc Neptune dedisti.

PROSOPOPOEIA est personarum ficta inductio, qua vita, vel ratione

ca-

carentibus sensus, affectus, & sermo datur. Hac Superos, & Inferos excitare concessum est. Hac Vrbes, & populi, saxa quoque, & parietes vocem accipiunt. Illud verò seruandum, vt sermonem personis, quas loquentes effingimus, conuenientem aptemus.

Author ad Herennium l. 4. Quòd si nunc hæc Vrbs inuictissima vocem emittat, non hoc pacto loquatur? Ego illa plurimis trophæis ornata, triumphis ditata certissimis, clarissimis locupletata victorijs, nunc vestris seditionibus o ciues vexor. Quam dolis malitiosa Chartago, viribus probata Numantia, disciplinis erudita Corinthus labefactare non potuit, eam patiemini nunc ab homunculis deterrimis proteri, atque conculcari?

Cic. Diuinat. in Verrem. Sicilia tota, si vna voce loqueretur, hæc diceret. Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis vrbibus, sedibus, delubris; quod in vnaquaque re beneficio Senatus, Populique Romani iuris habui, id mihi tu Verres eripuisti, atque abstulisti.

Apud *Latinum Pacatum* Romana Resp. Theodosium abnuentem imperium sic alloquitur.

Expostulari hoc loco tecum Reip. verbis necesse est, quæ in summa tua

cunctatione in formidinem à media spe relapsa, tali te aliqua profectò, sed quam solus audires, voce conuenit. Parumne me, Theodosi, hactenus distulere fata, vt insuper tentes moras augere fatorum? An nescis rem tuam per momenta consumi? Nescis me tibi, tuisque decrescere? Quidquid atterit Gothus, quidquid rapit Hunnus, quidquid aufert Alanus, id olim desiderabit Arcadius. Perdidi infortunata Pannonias, lugeo funus Illyricum, specto excidium Galliarum. Principum senior in tanta bella non sufficit; alter, & si futurus sit aliquando fortissimus, adhuc tamen paruus est. Tu dubitas excipere collapsam, & vt nihil differas, serò reparandam? Hanc mihi gratiam refers, quòd te etiam felix desideraui? Quando me Nerua tranquillus, amor generis humani Titus, pietate memorabilis Antoninus teneret: cùm mœnibus Augustus ornaret, legibus Hadrianus imbueret, finibus Traianus augeret, parum mihi videbar beata, quia non eram tua &c.

Nec minus illustris est apud eundem Prosopopœia, qua Fortuna, & Virtutes Theodosij contendunt.

Fortunæ tuæ, si vocem demus, & iudicem, non ne prolixè suam enumerabit operam? Et vt Virtutibus tuis mul-

ta concedat, sibi aliqua vendicabit? Et cur quæsò non demus, vt accipiamus vtriusque partis afferta, cùm sit, quæ vinceret, tua? Audio Constantiam dicere; Bellum atrox, periculosumque suscepi: memorare Patientiam: Immensum iter, tempus anni graue semper armata, semper ieiuna toleraui: tenere Prudentiam; Partita sum militem, & multiplicaui arte terrorem: afferere Fortitudinem; Bis conflixi cum hoste, bis vici; omnes postremò clamare: Quid tibi debemus Fortuna, quam fecimus? Sed si illa dicat; Properationem militum ego iuui, ego fugam hostium præpediui, ego Maximum in muros coegi, & quem vos cogebatis mori, viuum domino referuaui: non video, quod possit esse iudicium; quin, cùm ista pars imputet Tyranni fugam, illa custodiam Reip., quæ vtrique pariter obnoxia est, ita vtranque coniungat, vt fateatur vni semet victoriam, alteri debere vindictam.

Quandoque Prosopopœia non solùm sermonem, sed etiam corpora effingit per Somatopœiam, quam habes infra in Descriptionibus, vbi etiam Oetopœiam inuenies.

SERMOCINATIO est Figura, qua vel aliquem secum loquentem, vel plures mutuò colloquentes inducimus,

vel ipsi ab alijs dicta referimus.

Primi generis est illa Maximi apud *Latinum Pacatum.*

Quoties sibi ipsum putamus dixisse. Quò fugio? Bellum ne tentabo, vt quem viribus totis ferre non potui, parte sustineam? Alpes Cottias obserabo, quia Iuliæ profuerunt? Peto Africam, quam exhausi? Repeto Britanniam quam reliqui? Credo me Galliæ? Sed inuisus sum. Hispaniæ committo? Sed notus sum. Quid ergo faciam inter arma, & odia medius? A tergo premor hostibus, à fronte criminibus. Si morerer, euaseram. Sed ecce nec animum sequitur manus, nec manum gladius: labitur ferrum, tremit dextera, mens fatiscit. O quàm difficile est miseris etiam perire!

Secundi generis ea est *lib. 2. Q. Curtij.* Huc loci venere legati à cæteris Danubij accolis, à Syrmo Triballorum Rege, atque Germanis ad Alexandrum; vt cum eo amicitiæ fœdus inirent. Quibus in fidem, & amicitiam acceptis, è Germanis quæsiuit. Quidnam in humanis rebus præ cæteris extimescerent, ratus nominis sui magnitudinem ante omnia ipsis formidolosam videri. Illi hoc se in primis timere responderunt, nè fortè in se se aliquando Cælum rueret. Alexander nihil motus responsi superbia tantùm adie-

adiecit: Germanos ſuperbos eſſe, eoſque domum remiſit.

Altera eiuſdem generis *lib.* 4., vbi cum Alexandro Parmenio colloquitur. Multa lux, inquit, eſt. Inſtructam aciem hoſtis admouit: tuus miles inermis adhuc expectat imperium. Vbi eſt vigor ille animi tui? Nempè excitare vigiles ſoles. Ad hæc Alexander: Credisne me priùs ſomnum capere potuiſſe, quàm exonerarem animum ſolicitudine, quæ quietem morabatur? &c.

Tertij generis eſt illa *Cic. in Piſ.*

Mihi verò ipſi coram genero meo propinquo tuo quæ dicere auſus es? egere foris eſſe Gabinium; ſine Prouincia ſtare non poſſe; ſpem habere à Tribuno plebis, ſi tua conſilia cum illo coniunxiſſes, à Senatu quidem deſperaſſe.

Huc ſpectant obliquæ Orationes, quæ ſepiùs ab Hiſtoricis afferuntur. Talis illa eſt *l.* 2. *Decad. p. T. Liuij.*

Hic verò Populus Romanus tollere in Cælum Fabiam gentem: irent fauſtis auibus in hoſtes Imperij: opponerent ſe aleæ, & periculo omni: gererent bella Reip. Si plures tales familiæ exiſterent, nullos breui Romanis hoſtes futuros.

Illuſtrat maximè Narrationes hæc Figura. Frequenter adhibetur ab Hi-

ſtoricis, Comicis, aliiſque Poetis, cùm perſonas loquentes inducunt. Quintilianus Proſopopœiam à Sermocinatione non diſtinguit, & vtranque eodem modo, iam recepto (vt ait) more appellat. Hanc alij Dialogum, vel Dialogiſmum vocant, atque à ſuperiori Figura differre volunt, quòd illa non ſolùm ſermonem, ſed etiam perſonas effingit.

Nec pluribus Figuris te moror, quarum quidem centurias aliqui collegere; at ſi reuocentur ad examen, quædam vix merentur inter Schemata numerari, plurimæ ſolis nominibus differunt; nec minutiores, acutioreſque diſtinctiones probo: etenim, vt egregiè Seneca *epiſt. 89. idem vitij habet nimia, quod nulla diuiſio. Simile confuſo eſt, quidquid vſque in puluerem ſectum eſt.* Ne verò tibi tenebras offundant, *qui* (cum Fabio loquor *lib. 9. c. 3.*) *nullum prope finem fecerunt exquirendis nominibus*, hunc Indicem addo.



IN-

INDEX

Quo varia Troporum, ac Figurarum vocabula recensentur.

HOc tanquam auctarium habeto; nec inutile; saltem ne stupeas ad nominum, præsertim Græcorum, terricula. Vsu notiora præmitto, siue Græca sint, siue Latina, vt minùs nota faciliùs inuenias.

CON-

CONTRAPOSITVM. Contrarium, Contentio. Antithesis, Antitheton.

CONVERSIO. Reuersio. Antistrophe, Epistrophe, Epiphora.

CORRECTIO. Epanorthosis.

DEPRECATIO. Supplicatio. Deesis.

DESCRIPTIO. Demonstratio, Notatio, Illustratio, Effictio, Euidentia. Hypotyposis.

DISTRIBVTIO. Partitio. Merismos.

DISSOLVTIO. Articulus. Asyndeton, Dialysis, Dialyton.

DVBITATIO. Addubitatio. Aporia, Aporesis.

EPIPHONEMA. Acclamatio.

EXCLAMATIO. Ecphonesis.

EXPOLITIO. Immoratio, Commoratio, Suffiguratio, Tractatio. Energia, Exergasia, Epexergasia.

FIGVRA. Shema.

GRADATIO. Ascensus. Climax.

HYPERBATON. Transgressio.

HYPERBOLE. Superlatio, Excessus, Eminentia, Eminens Superiectio.

IMPOSSIBILE. Nefas. Adynaton.

INCREMENTVM. Auxesis.

INTERPRETATIO. Quæ idem pluribus modis dicit, Synonymia, Epexegesis; quæ verò sententiam interpretatur, Exegesis, Hermenia.

INTERROGATIO. Erotema, Erotesis, Peusis.

IRO-

IRONIA. Simulatio, Diſſimulatio, Illuſio, Irriſio.

LICENTIA. Parrheſia.

METALEPSIS. Tranſumptio, Tranſpoſitio.

METAPHORA. Translatio.

METONYMIA. Hyppalage. Tranſnominatio, Tranſmutatio.

OMINATIO. Præſagium, Diuinatio, Prædictio.

ONOMATOPOEIA. Nominis fictio.

PARADOXVM. Inopinatum.

PERIPHRASIS. Circuitio, Circunlocutio, loquendi circuitus.

PRÆOCCVPATIO. Occupatio, Præſumptio, Præmunitio, Anticipatio. Prolepſis. Procatalepſis.

PRÆTERITIO. Omiſſio. Paralepſis, Apophaſis.

PROSOPOPOEIA. Perſonæ fictio, Conformatio.

REPETITIO. Reſumptio. Anaphora, Epanaphora. Plures huius ſpecies, miraque nomina vide apud Carbonem de Elocutione Orat. l. pr. diſp. 18.

RETICENTIA. Obticentia, Interruptio. Apoſiopeſis.

SERMOCINATIO. Dialogus, Dialogiſmus.

SIMILITER CADENS. Verborum ſimilitudo, & æqualitas. Homœop-

mœoptoton, Paromœosis.

SIMILITER DESINENS, Homœoteleuton.

SVBIECTIO. Oppositio, Obiectio, Hypophora, Antipophora.

SVSTENTATIO. Paradoxon.

SYNECDOCHE. Intellectio, Comprehensio.

TRAIECTIO. Traductio. Polyptoton.

TROPVS. Commutatio, Transmigratio.




DE TRANSITIONIBVS.

INter Schemata Transitionem quoque inuenio plerùnque referri. Metastasim, vel Metabasim Græci vocant. Quintilianus Interfationem appellat. Quanuis propriè certa quædam Figuræ species dici non possit, at potiùs Figurarum vsus ad Orationis partes connectendas. Cùm his tamen finitima sit, quæ ad illam spectant hìc expediam, licet aliquà sint à Locis Rhetoricis deriuata.

Quid sit, & quotuplex Transitio, & vnde sumi possit.

CAPVT VNICVM.



RANSITIO est breuis Oratio, quæ dictis dicenda connectit. Duplex est: alia perfecta, alia imperfecta. Transitio perfecta illa est, quæ duplici parte constat, quarum prima superiùs dicta complectitur, altera dicenda breuiter attingit. ex. gr. *Cic. pro lege Manil. Quoniam de genere belli diximus, de magnitudine pauca dicam.* Transitio im-

imperfecta est, quæ vnica parte constat; nam vel tantùm dicta recolligit: ex. gr. *Cic. pro Deiot. En crimen, en causa, cur Regem fugitiuus, Dominum seruus accuset*: vel tantùm dicenda proponit, *ex.gr. Cic. pro Flacco. Venio ad Lysaniam eiusdem Ciuitatis, peculiarem tuum, Deciane, testem.*

Formulæ Transitionum huiusmodi esse solent.

Iam verò erigite animos Auditores. Iam illud ad se vocat orationem meam. Venio nunc ad alteram partem. Redeo, vnde diuerteram. Reliquum est, vt videamus. Reuocate quæso in memoriam: Rem aliquantò altius repetamus. Fortasse dices. Quæret hic aliquis. Huc reuocare possem. Huc illud pertinet. Tale illud fuit. Non absimile venit in mentem. Memini legisse me. Quid, quod ille? Age nunc diligentiùs exploremus. Ad illa iam descendo. Sinite me hoc loco illa memorare. At longè aliter maiores nostri. Non ita sensit ille. Vtinam rediret vetus ea consuetudo. Quid si reuiuisceret morum censor? Non diutiùs abutar patientia vestra. Non longiùs aberro. Hìc iam plura non dicam. Multa prætereo consultò. Longum esset ire per singula.

Transitiones illæ maximè commendan-

dantur, quæ aliquid habent acuminis, & quasi non sentientem Auditorem ab vna re deducunt ad aliam. Sed tam variæ sunt, quàm varia eorum materia; quamobrem Oratoris erit ex rebus ipsis opportunos educere partium nexus: idque opus ingenij est, nec tam arte, quàm obseruatione discitur, & vsu. Interim ad inueniendas Transitiones ad Locos Rhetoricos, Figurasque confugies; & facillimè quidem à Locis illis hauries, qui aliquam relationem, seu connexionem inter se habent: vt à Toto ad partes, à Genere ad Species, à Simili, à Dissimili &c. Aliqua subdo Exempla Tulij, Plinij, & Latini Pacati.

A Simili.

Faciam ergo, quod facere præstantes scientia medicos sæpe vidi. Altorum vulnerum cicatrices pendente manu tractabo.

Sed quod facere magnas Vrbes ingressi solemus, vt primùm sacras ædes, & dicata Numini summo delubra visamus, tum fora, atque gymnasia &c. ita in laudibus tuis sanctos Palatij ritus, & priscis æquanda cæremonijs instituta venerati, gradum ad illa proferimus, quæ in medio constituta &c.

A dissimili.

Quàm dissimilis nuper alterius Principis transitus!

Age nunc iter expediti latronis cum Milonis impedimentis comparate.

Ab Antecedentibus.

Fuit hoc quondam, fuit proprium Populi Romani.

Olim hæc experientia iuuentutis, hæc voluptas erat.

Ab Antecedentibus, & Consequentibus.

Verùm hæc olim: in præsentia quidem &c.

Res ipsas interrogemus, &, quæ certissima coniectatio est, colligamus gerenda gestis.

A Pari.

Sic aggrestes Curij, sic veteres Coruncani, sic nomina reuerenda Fabricij, cum induciæ bella suspendebant, inter aratra viuebant.

A Minori ad Maius.

Ingens hoc meritum; maius illud, quòd &c.

Hæc tibi apud hostes veneratio: quid apud milites?

A Toto ad partes.

Iam vniuersa istorum cognita cupiditate, accedam ad singulas querelas, criminationesque Græcorum.

A Contrario.

Illa fuit Oratio necessaria: hæc erit voluntaria.

Hactenus tristia: nunc lætiora videamus.

Per Figuras verò venustiores, & occultiores fiunt Transitiones. Ex. gr.

Per Interrogationem.

Et quis terror efficere valuisset, quod reuerentia tui effecit?

Vnde igitur exordiar, nisi à tuis Gallia malis? &c

Per Apostrophem.

Recordare igitur illum, M. Antoni, diem, quo Dictaturam sustulisti.

Mandate hoc memoriæ Iudices. Spero multa vos, liberosque vestros in Rep. esse visuros.

Te nunc appello P. Scipio, te Metelle.

Date oculos, qui hactenus aures præbuistis.

Audite hoc publici parricidę, qui &c.

Per Dubitationem.

Initium laboris mirer, an finem?

Quid faciam? nouam quandam patior ex copia difficultatem; quid inquam faciam?

Per Congeriem.

Adde casus, adde incertos exitus pugnarum, adde inscitiam oscitantis ducis,

Per

Per Correctionem.

Sed quid singula consector, & colligo?

Nimis vrgeo: commoueri videtur adolescens: ad me reuertor.

Sed quid ego ineptus de Roscio apud Pisonem dico?

Per Concessionem.

Verùm concedo tibi, vt ea prætereas, quæ, cùm taces, nulla esse concedis.

Esto: causam proferre non potes. Tametsi statim vicisse debeo, de meo iure decedam.

Per Communicationem.

Nunc ego Iudices iam vos consulo, quid mihi faciendum putetis?

Ego pro te nunc consulo post tempus in aliena re, quod tu in tua re, cùm tempus erat, consulere oblitus es. Quæro abs te C. Aquili &c.

Per Deprecationem.

Quid restat, nisi, vt orem, obtesterque vos Iudices, vt eam misericordiam tribuatis fortissimo viro.

Oro vos, atque obsecro, Iudices, vt attentè, bonaque cum venia verba mea audiatis.

Per Exclamationem.

O Dij immortales! rem miseram atque calamitosam!

O singularem Sapientiam Iudices! Proh

Proh Deum, hominumque fidem! O præclarum testem, Iudices! o grauitatem dignam exstimatione!

Per Praoccupationem.

At credo hæc homo inconsultus, & temerarius non videbat. Quis consideratior illo? quis tectior?

Dices. Quid postea? Si Romæ assiduus fui? respondebo &c.

Requiretur fortasse nunc, quemadmodum, cùm hæc ita sint, reliquum possit esse magnum bellum. Cognoscite Quirites.

Per Præteritionem.

Vt de his taceam, quos tibi primus ille nascentis Imperij dies obtulit tantis virtutibus præditos.

Verùm hæc ita prætereamus, vt tamen intuentes, & respectantes relinquamus.

Qua in re prætereo illud, quod mihi maximo argumento esse potest.

Verùm vt hæc missa faciam, quæ iam facta sunt &c.



DE

DE PERIODICA, ET NVMEROSA ORATIONE.

PRæcipuas Elocutionis dotes duplici Virtute ab initio complexus, Elegantia ſcilicet, ac Ornatu, ad hunc eam quoque reduxeram, quam Herennianus Author Compoſitionem vocat; cuius eſt efficere, vt partibus inter ſe aptè cohærentibus leniter fluat Oratio, & quandam quaſi modulationem habeat, audienti pariter, dicentique ſuauem. Abſolutis igitur Troporum, ac Figurarum ornamentis, ea ſubijcio, quæ numeroſam Elocutionem reddunt. Cùm verò numerus Oratorius in Periodis, earumque partibus rectè diſpoſitis conſiſtat, ideo Periodi tractationem priùs aggredior.

Quid ſit Periodus, & quæ illius partes.

CAPVT PRIMVM.



ERIODVS eſt Orationis continuatio, perfectam, abſolutamq; ſententiam ambitu ſuo comprehendens. Vel, vt Herenniano Rhetori placet, *eſt denſa, & continens frequentatio verborum cum abſolutione ſententiarum.*

Varijs

Varijs nominibus appellatur, Comprehensio, Complexio, Continuatio, Clausula, Conuersio, Circunscriptio. At si Græci vocabuli significatio spectetur, Periodus idem est, ac Latinè Circuitus, vel Ambitus, indito per Metaphoram nomine: quòd in ea Oratio in quodam quasi orbe inclusa procurrat, vt inquit Romanus Orator.

PERIODI partes sunt *MEMBRA*, & *INCISA*, quæ plures pariter habent appellationes. Membrum alij Interuallum, Intermissionem alij vocant, Græci Colon. Incisum ab aliquibus Intercisio, Segmentum, Articulus dicitur, à Græcis Comma.

MEMBRVM est Periodi pars proxima, siue maior, integram quidem sententiam, adhuc tamen pendentem comprehendens, quam totam non nisi cum alijs Membris absoluit. Duplex est: Aliud Integrum, seu Continuum, sine vlla Incisorum distinctione: aliud Incisis distinctum. Exemplum primi sit. *Cùm in omnibus causis grauioribus commoueri soleam vehementiùs*. Ex. secundi. *Si veritate amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur*.

Incisum est pars proxima Membri, & remota, siue minor Periodi, quæ sententiam inchoat, non perficit. Quamobrem quasi mutilato sensu nihil absoluti

E signi-

significat, ex. gr. *Amor Patriæ*, *custodia legum*, *Numinis reuerentia*; immò singulis etiam vocibus Incisa fiunt: vt. *Consilio*, *labore*, *constantia*. Membra itaque in Periodo sunt velut digiti in manu, & Incisa tanquam digitorum articuli.

Extra Periodum tamen & Membra, & Incisa perfectum sensum habere possunt, vbi nihil aliud expectant ad absoluendam sententiam: vt cùm sine Periodico ambitu membratim, & cæsim fertur Oratio. ex.gr. *Species insipientiæ est vltra modum sapere velle*. *Ne quid nimis*. *Hæc summa sapientia nosse se ipsum*. *Hoc opus*: *hic labor*.

Scriptæ Periodi partes his notis distingui solent. Incisum flexa in læuam lineola signatur, quam Virgulam vocant, & Græco vocabulo Comma. Membrum in Periodo duobus Interpunctis notatur: quòd si sensum imperfectiorem habeat, Interpuncto, & Commate; immò quandoque, si breuissimum sit, & maximè pendens, solo Commate distinguitur. Absolutæ Periodi signum Interpunctum est, quod punctum firmum ideo Nostrates appellant; quia clauso iam ambitu ibi sententia consistit. Atque hæc parcè delibata in rem istam sufficiant. Nam plures alioqui notas habet scripta Oratio:

tio: plura de Interpunctione, ac varia præscribuntur, nec satis conuenientibus Ortographorum sententijs; quorum magisterio te hac doctrina pleniùs erudiendum libentissimè remitto.

Iam verò, vt subijciam oculis hactenus dicta, Ciceronianam Periodum, eamque perbreuem, tibi propono expendendam, ex Oratione pro Roscio Comœdo.

Quemadmodum turpe est scribere, quod non debeatur;
Sic improbum est non referre, quod debeas.

Hæc Periodus duobus componitur Membris, quorum vtrunque duobus constat Incisis. In istis tantùm sententiæ fragmenta vides: in illis integram sententiam, sed adhuc hærentem; donec postrema Periodi clausula totum ambitum, ac sensum absoluat.

Quotuplex sit Periodus, quæ illius mensura, quæ perfectio.

CAPVT SECVNDVM.

DVo sunt Periodorum Genera: (a) Simplex, & Compositum. *PERIODVS SIMPLEX est, quæ sen-*

a *Quintil. lib.* 9. *c.* 4.

ſum vnum longiore ambitu circunducit, vno conſtans Membro.

PERIODVS COMPOSITA eſt, quæ pluribus conſtat Membris; quorum ſpectato numero in varias diuiditur ſpecies. Alia enim dicitur Bimembris, alia Trimembris, alia Quadrimembris.

Moderatam Periodi menſuram quatuor membris Tullius (a) definit. Ariſtoteles (b) eam magnitudinem præſcribit, quæ facilè oſculis perluſtrari poſſit: D. Auguſtinus (c) ſpiritu Oratoris metitur. Ea certè ſit, quæ lecta legentem non laſſet, audita nec audientem fatiget, nec dicentem. Ideo non ſolùm numeri, ſed etiam quantitatis Membrorum habenda eſt ratio, ne nimia prolixitate monſtroſum Periodi corpus efficiant. Vltimum quidem Membrum cæteris longius laudatur, tanquam continens, & amplectens alia. Etenim vt (ait Cicero) ſi Membra in extremo breuiora ſint, infringitur ille verborum quaſi ambitus: quare aut paria eſſe debent poſtrema ſuperioribus, aut, quod etiam eſt melius, & iucundius, longiora.

Quod attinet ad numerum Membrorum, vt vnico effici Periodus poteſt, ita non ſolùm quatuor, ſed quinque,

a 3. *de Orat.* b 3. *Rhet. c.* 9.
c *L.* 4. *de Doct. Chriſt. c.* 7.

que, pluribusque componi. Apud ipsum Tullium inuenies sex Membris constantem in exordio Orationis *pro P. Sextio*, & septem *pro Archia Poeta*. Sed nos laudem mediocritatis quærimus, quæ omnium consensu his finibus clauditur: vt ambitus nec breuior sit Bimembri, nec longior Quadrimembri. Periodus Simplex, siue Membri vnius Græcè dicitur *Monocolos*, Bimembris *Dicolos*, Trimembris *Tricolos*, Quadrimembris *Tetracolos*.

Perfecta PERIODVS Oratoria illa est, quæ pendentem Protasim habet, illique respondentem Apodosim.

PROTASIS est prima pars Periodi, quæ suspensam tenet sententiam. Apodosis est altera pars, quæ sententiæ suspensionem tollit, eamque complet. Nascitur ea Suspensio à vocibus, quæ sensus relatiuos habent: cuiusmodi sunt particulæ quædam, quæ positæ in vna parte Orationis aliam respiciunt: ex. gr. *Cùm. Postquam. Si. Dum.* vel quæ ita mutuò connectuntur, vt vna expectet alteram. ex. gr. *Tam*: *Quàm*. *Sicut*: *Ita*. *Quò magis*: *eò magis*. *Quanuis*: *Tamen &c.* (a) Harum vsu facilè Periodos Oratorias conficies, maximè si Ciceronianas obseruabis,

a *Vide Godescalcum Steuuechium l. 1. De lingua Latinæ particulis.*

in quibus hanc artem deprehendes.

Neque excluditur ab hac laude Simplex Periodus; quanuis vnico tantum constet Membro, nec habeat illas geminas partes explicitas, Protasim, & Apodosim: non enim Suspensione caret, si sensum vnum, vt diximus, longiore ambitu circunducit, ac tantùm in fine absoluit. Hinc Phaleræus. (a) *Quando Membrum longitudinem habuerit, & flexionem in extremo, tunc vnius Membri Periodus fiet.* Hanc vero longitudinem afferunt congesta Incisa, quæ supplent Membrorum defectum.

Omnium pulcherrima Periodus ea censetur, quæ quatuor Membris paribus intexitur ita dispositis, vt sine detrimento sensus, numeri, & elegantiæ, illorum ordo inuerti possit, duoque postrema primis præposita idem prorsus efficiant. Hæc vocatur Periodus Quadrata, seu Rotunda; quia, quacunque ex parte illam spectes, eadem est; ceu Cubus ex omni latere æqualis, vel Orbis vndique teres, & similis sibi; atque ideo dicitur etiam Tornata. Harum omnium Periodorum Species Tullianis exemplis ostendo.

PE-

a *Demetrius de Elocutione.*

PERIODVS SIMPLEX, SIVE VNIVS MEMBRI.

Pro M. Marcello ad Cæsarem.

SOleo sæpe ante oculos ponere, idque libentèr crebris vsurpare sermonibus, omnes nostrorum Imperatorum, omnes exterarum gentium, potentissimorumque populorum, omnes clarissimorum Regum res gestas, cum tuis nec contentione magnitudinis, nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri.

ALTERA SIMPLEX.

In Catilinam tertia.

Remp. Quirites, vitamque omnium vestrum, bona, fortunas, coniuges, liberosque vestros, atque hoc domicilium clarissimi Imperij, fortunatissimam, pulcherrimamque Vrbem, hodierno die Deorum immortalium summo erga nos amore, laboribus, consilijs, periculisque meis, ex flamma, atque ferro, ac penè ex faucibus fati ereptam, & vobis conseruatam, ac restitutam videtis.

BIMEMBRIS.

Pro Archia Poeta.

In qua Vrbe Imperatores propè armati Poetarum nomen, & Musarum delubra coluerunt; In ea non debent togati Iudices à Musarum honore, & à Poetarum salute abhorrere.

ALTERA BIMEMBRIS.

Pro lege Manilia.

Quanquam mihi semper frequens conspectus vester multò iucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus, Quirites: tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maximè patuit, non mea me voluntas, sed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate susceptæ prohibuerunt.

TRIMEMBRIS.

Pro lege Manilia.

Tantane vnius hominis incredibilis, ac prope diuina Virtus, tam breui tempore lucem afferre Reipublicæ potuit:

tuit: vt vos, qui modò ante ostium Tiberinum classem hostium videbatis; hi nunc nullam intra Oceani ostium prædonum nauim esse audiatis?

ALTERA TRIMEMBRIS.

Ibidem.

Vtinam, Quirites, Virorum fortium, atque innocentium copiam tantam haberetis; vt hæc vobis deliberatio difficilis esset; quemnam potissimum tantis rebus, ac tanto bello præficiendum putaretis.

QVADRIMEMBRIS.

Pro Milone.

Etsi vereor Iudices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem timere; minimèque deceat, cùm T. Annius Milo ipse magis de Reip. salute, quàm de sua perturbetur, me ad eius causam parem animi magnitudinem afferre non posse: tamen hæc noui iudicij noua forma terret oculos; qui quocunque inciderint, veterem consuetudinem fori, & pristinum morem iudiciorum requirunt.

QVADRATA, *seu Rotunda*.

Pro A. Cecinna.

Si quantùm in agro, locisque desertis audacia potest; tantùm in foro, atque in iudicijs impudentia valeret; non minùs in causa cederet A. Cecinna Sexti Ebutij impudentiæ; quàm tum in vi facienda cessit audaciæ.

De implenda, seu amplificanda Periodo.

CAPVT TERTIVM.

QVæcunque de Periodi artificio, ac præstantia diximus, parùm ad summam illius dignitatem proficient, nisi plenitudo quædam, & vbertas accedat, qua deficiente, si fuerit inanis, arida, strigosa, vix numerum habere potest, ac volubilis ambitus gratiam. Impletur Periodus non tam multiplicatis Membris, quàm Membrorum Incisis, quod fiet illorum sententias dilatando. Ne verò putes peculiarem artem hic esse. Eadem ratio est, quæ in cæteris amplificandis; hoc est, vt pluribus explicetur, quod paucioribus dici posset; idque vel per

Tro-

Tropos illustriores, vt per Metaphoras, Allegorias, Antonomasias, Periphrases: vel per Figuras ad amplificandum idoneas; vt per Expolitionem, per Synonyma, per Distributionem, per Congeriem &c. his adde Partium Enumerationem, Adiuncta, Definitiones, aliosque Locos Rhetoricos, veræ Amplificationis fontes, vt postmodum videbimus.

At memineris in Oratione implendam esse, cùm opus fuerit, non inflandam Periodum, vndique ingestis inutilibus verborum ampullis: non enim minùs egregij corporis venustatem vitiat sagina enormis, quàm deformis gracilitas. Nec semper ea plenitudo in Periodo quærenda, præsertim, si rerum tenuitas repugnet. Laudem meretur, si modum seruet, si sit rebus accommodata, si varia; ne Periodi omnes vno quasi typo videantur excusæ.

Huius dilatationis artem suis exemplis expressam Tullius docebit.

In Catilinam secunda hoc vnicum Membrum *Catilinam Patriæ infensum expulimus* ita in plura diuidit Incisa; vsus Adiunctis, Metaphoris, & Synonymis.

Tandem aliquando, Quirites, L. Catilinam, furentem audacia, scelus

anhelantem, pestem Patriæ nefariè molientem, vobis, atque huic Vrbi ferrum, flammamque minitantem, ex Vrbe vel eiecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem Vrbe prosecuti sumus.

In Catilinam quarta hanc sententiam *Patria se vobis commendat* per Enumerationem partium latiùs fundit:

Vobis supplex manus tendit Patria communis: vobis se, vobis vitam omnium ciuium, vobis Arcem, & Capitolium, vobis aras Penatium, vobis illum ignem Vestæ perpetuum, ac sempiternum, vobis omnia templa Deorum, atque delubra, vobis muros, atque Vrbis tecta commendat.

Pro L. Murena tria hæc verba *Catilina Patriam inuadet* per Distributionem dilatat.

Illa Pestis immanis, importuna, prorumpet, quà poterit; & iam Populo Romano minitatur. In agros suburbanos repentè aduolabit: versabitur in castris furor, in Curia timor, in foro coniuratio, in Campo exercitus, in agris vastitas; omni autem in sede, ac loco ferrum, flammamque metuemus.

Pro Sextio breuibus dicere poterat *Non ignorabam oppetendam esse pro*

Pa-

Patria mortem : hoc idem per Expolitionem eleganter amplificat.

Tam eram rudis, tam ignarus, tam expers consilij, aut ingenij? nihil audieram, nihil videram, nihil ipse legendo, quærendoque cognoueram? nesciebam breuem esse vitæ cursum, gloriæ sempiternum?

Pro Cælio hæc duo membra *Pauci Eloquentiæ student* : *quòd eiusdem studium inania oblectamenta excludit*, ita per Congeriem extendit.

An vos aliam causam esse vllam putatis, cur in tantis præmijs Eloquentiæ, tanta voluptate dicendi, tanta laude, tanta gloria, tanto honore, tam pauci sint, semperque fuerint, qui in hoc labore versantur? omittendæ sunt omnes voluptates, relinquenda studia delectationis, ludus, iocus, conuiuium, sermo etiam penè omnium familiarium deserendus.

Post reditum in Senatu, per plura Synonyma hoc pleniùs expressit, quod paucioribus verbis absoluisset *Neque vestra beneficia referre*.

Quæ tanta potest existere vbertas ingenij, quæ tanta dicendi copia, quod tam diuinum atq;incredibile genus orationis, quo quisquam possit vestra in nos vniuersa promerita, non dicam complecti orando, sed percensere numerando?

Vtitur feliciſſimè Tullius ad Periodum dilatandam Definitionibus, Appoſitis ad nomen, Epithetis, nec rarò Superlatiuis; quanuis hæc non temerè frequentanda.

In Piſonem. Ergo his fundamentis poſitis à P. Clodio, fatali portento, prodigioque Reip., lex Ælia, & Fuſia euerſæ, propugnacula, murique tranquillitatis, atque otij. *Et ibidem*, Vetus illa magiſtra pudoris, atque modeſtiæ, ſeueritas Cenſoria.

Pro Milone. Curiam, templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilij publici, caput orbis, aram Sociorum, portum omnium gentium. *In quibus exemplis vide, quàm grauibus translatis Definitiones illuſtrentur*.

In Cat. ſecunda. Deos, Quirites, precari, venerari, atque implorare debetis, vt quàm Vrbem pulcherrimam, florentiſſimam, potentiſſimamque eſſe voluerunt, hanc omnibus hoſtium copijs terra, marique ſuperatis, à perditiſſimorum ciuium nefario ſcelere defendant.

Adhibet alibi Tullius ad amplificationem Periodi Negationem, vel ſolam, vel Affirmatione miſtam.

In Cat. quarta. Ego ſum ille Conſul P. C., cui non forum, in quo omnis æquitas continetur, non Campus Conſu-

fularibus auspicijs consecratus, non Curia summum auxilium omnium gentium, non domus commune perfugium, non lectus ad quietem datus, non denique hæc sedes honoris, Sella Curulis vnquam vacua mortis periculo, atque insidijs fuit.

Pressiùs dixisset. *Vbique parata in me insidia.* Sed hoc idem per negationem fusiùs explicat, enumerando locos, in quibus illi nulla securitas fuit.

Pro C. Rabirio. Negationi Affirmationem miscet,

Non enim. C. Rabirium culpa delicti, non inuidia, vitæque turpitudo, non denique veteres, iustæ, grauesque inimicitiæ ciuium in discrimen capitis vocauerunt. Sed vt illud summum auxilium Maiestatis, atque Imperij, quod nobis à maioribus est traditum, de Rep. tolleretur; vt nihil posthac authoritas Senatus, nihil Consulare Imperium, nihil consensio bonorum contra pestem, ac perniciem Ciuitatis valeret, idcirco in his rebus euertendis vnius hominis senectus, infirmitas, solitudoque tentata est.

Quid tandem hæc omnia? id vnum dicunt. *Non alia de causa Rabirium insectantur Aduersarij, nisi vt Reip. authoritatem oppugnent.*

At quorsum hìc plura? vide, quæ in-

Inferiùs de Amplificatione traduntur.

Quid sit Numerus Oratorius, & quæ Periodum numerosam efficiant.

CAPVT QVARTVM.

SOluta Metri legibus Oratio quamuis ab omni ſpecie carminis abhorreat, ſi tamen prorſus Numero careat, inæqualis erit, atque auribus inſuauis.

Numerus Oratorius eſt occulta quædam Elocutionis harmonia, ex apta verborum connexione, certaque dimenſione proueniens.

Primò itaque ſpectanda eſt verborum iunctura, ne quid aſperum habeat, ne quid hiulcum. Quare vitanda durioris literæ frequentia: vt *Duxit Xerxes exercitum. Stridenti ſtrepitu ſtrauit*. Declinandus hians vocalium occurſus, vt. *Arma Alexandri inuicta*.

Secundò menſura vocum, & ſyllabarum quantitas obſeruanda; non tamen rigore metrico, ſed aurium ſenſu, cuius tantùm eſt de pedum magnitudine, vel paruitate, de celeritate, vel tarditate, in Oratione ſoluta iudicare.

Principio Periodi graues, proceriique pedes maximè conueniunt. In me-

medio Tullius admonet permistos esse debere. Velociores, qui scilicet penultimam corripiunt, lentis temperandi, prolixiores breuioribus, ne vel nimis hæreat, vel præceps feratur Oratio. Tandem Periodus eleganter Polysyllabo clauditur, eoque potiùs Verbo, quàm Nomine, si compositio patiatur, & pes antecedens bene cum postremo conueniat. Certè in fine maior est vis Numeri; cùm in Periodis, non secus ac in musicis modulationibus, vltimam clausulam sensus attentior expectet.

Non tamen affectata sit Numerorum obseruatio, ne Orationem deflectat in Metrum, ne vitiosa verborum traiectione sententias perturbet, ne superstitiosè Syllabas metiatur, vocumque sonum spectet potiùs, quàm sensum; atque ideo Periodum inanibus impleat cantilenis. Non eadem præterea seruanda semper Membrorum mensura, eadem ratio pedum, præsertim in fine; alioquin Odarum Strophas imitari Periodi videbuntur; neque, vt numerosiùs cadant, illis assuenda syrmata longissimarum dictionum, quas aliqui prauo studio in hunc vsum diligentiùs inquirunt; quasi multum decoris habeant portentosæ laciniæ.

Vt verò totam numerosæ Orationis artem quàm breuissimè absoluam; hanc meliùs lectio docebit, & exercitatione auris erudita, quàm cura morosior. Interim satis erit habere præ oculis exempla; ideoque clausulas aliquas subijciam, è Tullianis Periodis excerptas. At priùs illam afferam, C. Carbonis, quam idem Tullius *in Oratore* affirmat fuisse maximæ admirationi, & audientium plausus meruisse.

Patris dictum sapiens temeritas filij comprobauit.

hìc tantus (inquit Cicero) clamor concionis excitatus est (*audita scilicet hac Periodi clausula*) vt admirabile esset. Quæro nonne id Numerus effecerit? Verborum ordinem immuta; fac sic: *comprobauit filij temeritas*, iam nihil erit. Hactenus ille. Hinc itaque intelliges, quæ, & quanta sit Numeri vis. *Quædam, & sententijs parua, & elocutione modica virtus hæc sola commendat. Quintil. l.9. c. 4.*

CLAVSVLÆ CICERONIANÆ.

Pro L. Mur. Diligentissimè perpendenti momenta officiorum meorum de officio meo respondebo.

Sicut huius Imperij dignitas in summo

summo periculo ciuium postulabat.

Pro A. Cec. Sed neque si quis vobis error in tanta re sit obiectus, omnes potiùs me arbitrentur causæ, quàm vos religioni vestræ defuisse.

Pro lege Man. Et meus labor in priuatorum periculis castè, integrèque versatus, ex vestro iudicio fructum est amplissimum consecutus.

Multæ sunt artes eximiæ, huius administræ, comitesque virtutis.

Opinione non minus famæ, quàm aliqua certa ratione commoueri.

Dolori suo maluit, quàm authoritati vestræ, obtemperare.

Post reditum in Sen. Tantus vester consensus de salute mea fuit, vt licet corpus abesset meum, dignitas iam in Patriam reuertisset.

Pro Q. Ligario. Nihil habet nec fortuna tua maius, quàm vt possis, nec natura tua melius, quàm vt velis, conseruare quamplurimos.

Ad Quirites. Incredibili quadam, & penè diuina, qua nunc vestro beneficio fruor, letitiæ voluptate caruissem.

In Verrem prima. Vt quoniam criminum vim subterfugere nullo modo poterat, procellam temporis deuitaret.

Se auarissimi hominis cupiditati satisfacere posse, nocentissimæ victoriæ non posse.

Quid-

Quiduis esse perpeti satius, quàm in tanta vi, atque acerbitate versari.

Pro M. Marcello. Te authoritatem huius Ordinis, dignitatemque Reip. tuis, vel doloribus, vel suspicionibus anteferre.

Vide quæso, ne tua Diuina Virtus admirationis plus sit habitura, quàm gloriæ.

Clausulas hic habes cum varietate numerosas. Nec plures addo, cùm Tullianas paginas vel oscitanter voluenti aliæ, atque aliæ confertim occurrant.

Periodi Numerum non modò adiuuant, sed penè sine industria efficiunt Concinnitates verborum: sic Tullius vocat Figuras quasdam suapte natura numerosas, quæ ideò harmonicæ dicuntur; cuiusmodi sunt Similiter Cadens, & Desinens, Compar, & Contrapositum. En exempla.

Similiter Cadens.

Pro L. Murena. Sin autem fugam laboris desidiam, repudiatio supplicum superbiam, amicorum neglectio improbitatem coarguit: nimirum hæc causa est huiusmodi, quam nec industrius, nec misericors, nec officiosus deserere possit.

Si-

Similiter desinens.

Pro Q. Sextio. Senatum obsideret? ciues indemnatos expelleret? bona diriperet? ædes incenderet? tecta disturbaret? Templa deorum immortalium inflammaret?

Compar.

Ibidem. Qui auctoritate, qui fide, qui constantia, qui magnitudine animi, consilijs audacium restiterunt, ij graues, ij Principes, ij Duces, ij authores huius dignitatis, atque Imperij semper habiti sunt.

Contrapositum.

Ibidem. Sed mihi omnis ratio est cum Virtute, non cum desidia; cum dignitate, non cum voluptate; cum ijs, qui se Patriæ, qui suis ciuibus, qui laudi, qui gloriæ; non qui somno, & conuiuijs, & delectationi natos arbitrantur.

Hæc autem sobriè, ac prudenter adhibenda; nam eandem, quam afferunt, quandoque vsurpata, voluptatem, frequentia perdunt, ac redolent leuitatem.

Plura

Plura de Periodico Numero Tullius, præcipuè in Oratore, Quintilianus, & alij exactissimè scripserunt; adeò, vt non solùm obseruauerint, qui pedes cui loco sint aptiores; at præter syllabarum dimensionem, elementorum etiam naturam examinauerint: quæ sit vis Consonantium, qui Vocalium sonus. Omnes tamen denique statuunt, rem istam esse potiùs aurium consilio committendam; quæ nisi agrestes omnino sint, ac inhumanæ, concentu gaudent, & si quid in eo peccatur, sagacissimè sentiunt; maximè cùm fiant vsu delicatiores, alioquin fastidiosæ, atque (vt ait Orator) superbissimi iudicij.

Permagni verò interest, quod iidem docent, habendam quidem in tota Oratione Numeri curam; at dissimulandam hanc artem; & quandoque negligentiam magis placere, quàm solicitudinem apertam; demum virtutes etiam ipsas tædium parere, nisi gratia varietatis adiutas. Quod vt scias, quàm verum sit, ipse Isocrates, ille Græcæ Eloquentiæ Pater, Attica illa Siren, quòd concurrentium Vocalium hiatus, & Literarum asperitates, & quidquid officit suauitati, religiosè deuitaret, Numerumque, & Concinnitatem studiosissimè sectaretur, censura

non

non caruit: ideo duplici scommate notatus; quasi à paternis tibijs modulari Orationem didicisset. Vide grauissimam de hac dicendi ratione Quintiliani sententiam lib. 9. cap. 4. circa finem. *In vniuersum autem, si sit necesse duram potiùs, atque asperam compositionem malim esse, quàm effœminatam, & eneruem, qualis est apud multos. Ac ne tam bona quidem vlla erit, vt debeat esse continua &c.*

Quandonam Periodicè, quando membratim, cæsimque dicendum.

CAPVT QVINTVM.

PEriodica Oratio, quæ aures tantopere demulcet, nihilominus assiduitate vilescit, suaque dulcedine satiat, nisi instar musici concentus quibusdam interuallis temperetur. Nec eandem vbique laudem habet volubili ambitu circunducta modulatio; immò, si sit frequentior, permouendis affectibus obest, fideiq; faciendæ, ac vim Orationis eneruat: quare videndum est quibus potissimùm locis, & quandiu adhibenda.

Hac itaque in Exordijs, præcipuè Demonstratiui Generis, in grauioribus Amplificationibus, magisque ornatis Lau-

Laudationibus vtemur. In reliquis Orationis partibus transferenda tota dictio ad Membra, & Incisa. Membratim plerunque narrabimus; exceptis ijs, quæ non docendi gratia, sed ornandi narrantur; hæc enim lenis, & fluens contextus decet. Cùm verò acriter pugnandum, breuioribus telis res agetur. Tullius quidem optimus Eloquentiæ Magister, cùm vrget aduersarium, vel affectus excitat, non circinat ambitus; at membratim, & cæsim styli aciem vibrat.

In Catil. prima. Quæ cùm ita sint, Catilina, perge quò cœpisti: egredere aliquando ex Vrbe: patent portæ: proficiscere. Nimiùm diu te Imperatorem illa tua Manliana Castra desiderant. Educ tecum etiam omnes tuos, si minùs, quàm plurimos. Purga Vrbem. Magno me metu liberabis; dummodo inter me, atque te murus intersit. Nobiscum versari iam diutiùs non potes. Non feram, non patiar, non sinam.

In Pisonem. Quis enim te aditu, quis vllo honore, quis communi salutatione dignum putet? Omnes memoriam Consulatus tui, facta, mores, faciem denique, ac nomen à Rep. detestantur. Legati, qui vnà fuere, alienati: Tribuni militum inimici; Centuriones,

nes, & si qui ex tanto exercitu reliqui milites existunt, non dimissi abs te, sed dissipati, te oderunt &c.

In Q. Cæcilium Verrina prima Quid illa Cæcili? contemnenda tibi videntur esse, sine quibus causa sustineri, præsertim tanta, nullo modo potest? aliqua facultas agendi, aliqua dicendi consuetudo, aliqua in foro, iudicijs, legibus aut ratio, aut exercitatio? Putas ne te posse de maximis, acerbissimisque rebus, cum causam sociorum, fortunasque Prouinciæ, ius Pop. Rom., grauitatem iudicij, legumque susceperis; tot res, tam graues, tam varias voce, memoria, consilio, ingenio, sustinere? Putas ne te posse, quæ C. Verres in Quæstura, quæ in Legatione, quæ in Prætura, quæ Romæ, quæ in Italia, quæ in Achaia, Asia, Pamphiliaque patrarit, ea quemadmodum locis, temporibusque diuisa sint, sic criminibus, atque Oratione distinguere? Putasne &c.

Is vtique idem est, quem alibi miraris tam scitè Periodos tornantem: vt in Exordijs Orationum pro L. Murena, pro Milone, pro M. Marcello, pro Lege Manilia, post reditum in Senatu, & ad Quirites. At siue Periodico circuitu Orationem voluat, siue ab eo cursu moretur, & Membris, incisisque

distinguat, nunquam abijcit Numeri curam: immò exemplis confirmat, quod præceptionibus docet; nihil tam numerosum esse debere, quàm hoc, quod minimè apparet; & quæ Incisim, aut Membratim efferuntur, ea vel aptissimè cadere opportere.

Ast huius Periodicæ, ac Numerosæ Orationis operosiore studio ne tempus absumas, iterum, iterumque moneo, certiorem eiusdem Iudicem aurem esse, vsu læuigatam. Hæc docebit Periodorum mensuram, si nec earum breuitate fraudari se sentiet, nec redundantia obtundi. Hæc dabit Numeris modum, si nec eorum nimia volubilitate, nec lentitudine, nullaque compositionis duritie lædetur.



DE AMPLIFICATIONE.

MAximum hoc opus Oratoris, quo suas Eloquentia vires exercet: hic thesaurus vnde suas largiùs opes effundit. Sed non eadem est apud omnes Amplificationis tractatio. Hanc enim aliqui prorsus cum Argumentatione confundunt. Alij forensibus tantùm Causis, alij excitandis affectibus accommodasse videntur. Et Cicero quidem in Partitionibus Oratorijs sic illam definit. *Est igitur Amplificatio grauior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem.* De hac Pathetica modò non agimus, quæ præcipuè in Perorationibus adhibetur. Agimus de Amplificatione, quæ spectat Orationis copiam in quolibet genere Causæ; quanuis hæc pariter ab ijsdem fontibus deriuetur, fidemque conciliet, non pressis rationibus rem confirmando, quod proprium Argumentationis est, sed fusè, ac ornatè oculis subijciendo; mouere quoque, ac flectere possit, si vehementioribus, quibus illa, Figuris vtatur. Interim tamen clariorem, aptioremque ad rem nostram definitionem afferimus, vt liquidiùs pateat inquirenti.

Quid sit Amplificatio.

CAPVT PRIMVM.



MPLIFICATIO est Oratio, qua in aliqua re latiùs explicanda immoratur idoneis Locis, & Figuris.

Primò itaque res amplificanda ea esse debet, quæ possit latiùs explicari, ne frustra quæratur humor a pumice: neque supra meritum res augenda; quod perinde est, ac aptare Pumilioni Herculis calceos, aut facere, ad veterem parœmiam, Elephantem è Musca. Secundò cauendum, ne tumultuaria, inanique verborum congerie Orationem infarciamus; cùm copiam quidem Amplificatio requirat, non redundantiam, nec tota sit illius laus multa dicere sed ad rem; euoluendo, quæ sunt in re, vel ad ipsam spectant. Cæterùm dignam circunforaneis præstigiatoribus artem exercent, qui exaggerationibus immodicis, tanquam Microscopijs vtuntur, in quibus vel Atomi assurgere videantur in montes. In addiscentibus quidem superfluens potiùs vbertas, quàm inopia ferenda;

dum

dum tamen ad Orationis maturitatem, annis, vsuque adolescant. (a)

Vt verò Amplificationem contexas, duo tibi quærenda sunt: Materia, ex qua ipsam conficias, & forma, qua perficias. Materiam dabunt Loci Oratorij: ex his enim desumitur copia rerum, seu rationum, quibus ea, quæ amplificanda sunt, probantur, & explicantur. Formam dabunt Figuræ, quarum vsu elegantiùs res ipsæ tractantur, illustrantur, & ornantur.

Præter hæc vix quidquam aliud inuenies, quod ad res amplificandas multum afferrat momenti. Nam quanuis Herennianus Rhetor, Quintilianus, Aphtonius, & veteres alij varias amplificandi rationes tradiderint, aliquæ tanquam Iudicialibus solùm Contentionibus præscriptæ minùs pertinent ad institutum hoc nostrum; quædam plus obscuritatis habent, quàm vtilitatis, aut quæ in illis commodiora sunt, huc tandem omnia referuntur.

Author libelli de vtraque Verborum, ac Rerum copia, & Carbo lib. 4 de Elocutione plurimos explicant dilatandæ Orationis modos, per formulas quasdam Grammaticales, variando casus, tempora modos &c. per Epitheta, Adiectiua, Substantiua, Syno-

a *Cic.* 1. *de Orat. Quintil. l.* 2. *c.* 4.

nyma &c. Verùm aliud eſt idem dicere pluribus modis, aliud plura dicere de eadem re. Vtile quidem illud Sermonis facultati comparandæ, ſed ad variandam Elocutionem pertinet: hoc ad rem amplificandam.

Aliqui Verborum Amplificationem afferunt, quaſi Speciem à rerum Amplificatione diſtinctam, fortaſſe Tullij authoritate nitentes; qui docet in Partitionibus Oratorijs Amplificationem, & Verborum genere confici, & Rerum: cùm ibi Tullius, non tam Amplificationis Species diſtinguat, quàm Partes. Nam certè omnis Oratio, & rebus conſtare debet, quæ dicantur, & idoneis verbis, quibus res ipſæ dicantur. Quæ autem ad amplificandum idonea Verba ſint recenſet: nempè grauia, plena, ſonantia, quòd hæc maieſtatem quandam addant Orationi; & quæ vim habent augendi: vt Compoſita, Superlatiua, Translata, Hyperboles, ac ſublimiores Metaphoræ: tum Repetitiones, Gradationes, Incrementa. Sed hæc Verborum lumina ad formam denique, ac ornatum Amplificationis reuocantur. Aliud præterea eſt rem verbis augere, aliud amplificare, ac dilatare. Illud vel vnico verbo fieri poteſt, quod maiorem habeat ſignificationem: vt ſi *Calum-*

nia-

niatorem dicas pro Accuſatore, *Periurum* pro Mendaci. Hoc verò fieri nequit niſi pluribus verbis, ac ſententijs, rerumque pariter copiam deſiderat, ac Elocutionis vbertatem.

Vtcunque igitur præclara, ingenioſa, vtilia etiam Orationi ſint, quæ de varijs amplificandi modis fusè ſcribuntur, vnus eſt qui cæteris præſtat, qui, ſi qui ſunt alij, omnes complectitur; immò qui ſolus, ni fallor, ad veram rerum Amplificationem valet, Locorum ſcilicet vſus cum apta Figurarum tractatione: quæ ſi quis probè calleat, næ ille totius Eloquentiæ, nedum Amplificationis præſtantiſſima tenet inſtrumenta.

Explicatis igitur iam antea Figuris, Locos aggredior; in quorum explicatione ſubiecta ſingulis exempla proponam: tum in fine rationem oſtendam, qua ex varijs Locis fuſæ Amplificationes texantur, ac Figuris illuſtrentur.

Locorum Definitio, ac Diuiſio.

CAPVT SECVNDVM.

LOCI *ſunt ſedes argumentorum:* (a) atque ideo Loci dicuntur, quaſi loculamenta quædam, in quibus re- F 4 po-

a *Cic. in Top.*

posita latent argumenta; hoc est rationes, quæ vim dicendi præbent, resque propositas probabiles reddunt: quare ad inueniendam non solum Amplificationis, sed etiam Argumentationis materiam patent adeuntibus hæc inexhausta Orationis promptuaria. Quid sit Argumentum; quid Argumentatio clariùs alibi videbimus.

Diuiduntur in duo genera Loci. Alij dicuntur *INSITI*, alij *REMOTI*: siue (vt communioribus vocabulis vtar, quanuis non ita Latinis) alij *INTRINSECI*, alij *EXTRINSECI*. *INTRINSECI* sunt, qui hærent in eo ipso, de quo agitur: vt Genus, Species, Partes, quæ sunt in re. *EXTRINSECI* sunt, qui assumuntur extrinsecùs; quare dicuntur etiam Assumpti: vt carmina Poetarum, Sententiæ Historicorum, quibus vtimur ad rem probandam, & illustrandam; hæc enim non sunt in ipsa re, sed aliunde sumuntur.

INTRINSECI Sexdecim numerantur: Definitio, Notatio, Coniugata, Partium Enumeratio, Genus, Species, Similitudo, Dissimilitudo, Opposita, Adiuncta, Antecedentia, Consequentia, Repugnantia, Causæ, Effectus, Comparatio.

Sex verò sunt Loci *EXTRINSECI*: Prǫiudicia, Fama, Tabulǫ, Iusiurandum, Tormenta, Testes.

De Definitione.

CAPVT TERTIVM.

DEFINITIO *est Oratio explicans, quid sit res definita.*

Duplex Definitio est: alia Dialectica, alia Oratoria. Dialectica rem definit per Genus, & Differentiam. Genus in Definitione est id, quod commune habet res definita cum pluribus alijs. Differentia est quæ ita conuenit rei definitæ, vt nulli alteri conueniat, ipsamque distinguit à cæteris. Hac ratione Dialectici definiunt hominem *Homo est animal rationale*, vbi *Animal* est Genus, quia commune homini, & omnibus alijs animantibus. *Rationale* est Differentia, quia vni conuenit homini, ipsumque distinguit à brutis.

Definitio Oratoria non tam definit, quàm describit; non enim solam exprimit rerum naturam, sed excurrit in Partes, Adiuncta, Causas, omnesque Locos; per Tropos etiam, & Figuras latè vagatur. En vt hominem Oratoria vbertate Tullius definit. *Lib. primo de legibus.*

Homo est animal prouidum, memor, sagax, plenum consilij, atque rationis, præclara quadam ratione ge-

neratum à Deo. Solum est enim ex tot animantium generibus, atque naturis particeps rationis, cùm cætera omnia sint expertia. Quid enim est, non dicam in homine, sed in omni Cœlo, atque terra ratione diuinius?

Vides hìc non à Genere solùm, ac Differentia, sed insuper ab Adiunctis animi, à Causa procreante, à Dissimili, à Comparatione hominem definiri. Vide nunc eundem ab Adiunctis Corporis, fragilique materia miserandam in speciem à Seneca descriptum. *In Consolat. ad Marciam.*

Quid est homo? quodlibet quassum vas, & quodlibet fragile. Iactatu, non tempestate magna, vt dissiperis, opus est. Vbicunque arietaueris, solueris. Quid est homo? imbecillum corpus, & fragile, nudum, suapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum: cùm bene lacertos exercuit, cuiuslibet feræ pabulum, cuiuslibet victima: ex infirmis, fluidisque contextum, & lineamentis exterioribus nitidum; frigoris, æstus, laboris impatiens, ipso rursum situ, & otio iturum in tabem: alimenta metuens sua, quorum modò inopia, modò copia rumpitur: anxiæ, solicitæque tutelæ, precarij spiritus, & malè in hærentis &c.

Aptissima est Amplificationibus Definitio per Negationem, & Affirmationem; cùm ostendimus primò, quid non sit res definita; tum subdimus, quid illa sit. Insigne huius exemplum illud est Ciceronis *in Pisonem*, quem ex Definitione Consulatus ostendit nunquam Consulem fuisse.

Tu etiam mentionem facies Consulatus tui? aut te fuisse Romæ Consulem dicere audebis? Quid? tu in lictoribus, in toga, & prætexta esse Consulatum putas, quæ ornamenta etiam in Sexto Clodio te Consule esse voluisti? Huius tu Clodiani canis insignibus Consulatum declarari putas? Animo Consulem esse oportet, consilio, fide, grauitate, vigilantia, toto denique munere Consulatus.

Hac eadem definiendi ratione vtitur D. Io: Chrisostomus, vt veram hominis virtutem definiat. *tomo 5. in Orat. quòd nemo læditur nisi à se ipso*.

Quæ ergo est Virtus hominis? non diuitiæ, ne timeas paupertatem; nec sanitas corporis, ne languorem metuas; nec fama, & existimatio humana; ne te hominum maledicta terreant; nec vita hæc communis, ne fortè metuas mortem; nec libertas, ne seruitutem perhorrescas. Sed quæ est Virtus animi? Rectè sentire de Deo, & rectè in-

inter homines agere.

Aliquando Definitio per solam Negationem effertur. *Cic. pro P. Sextio* de Optimatibus loquens.

Omnes Optimates sunt, qui neque nocentes sunt, nec natura improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti &c.

Hac Definitione per Negationem opportunè vtemur, cùm maxima occurrent, quæ dicendo æquare non possimus: vt si de Deo sit sermo, de quo (vt egregiè D. Ambrosius) (a) *Et cùm dicitur non potest dici, cùm æstimatur non potest æstimari, cum definitur ipsa sua definitione crescit.* Et Romanus Orator, ipse Eloquentiæ Pater, tantæ impar Maiestati exprimendæ. (b) *Quid non sit Deus* (inquit) *quàm quid sit dixerim.* Neque enim est creatæ cuicunque formæ comparanda species, non circunscripta potentia, non comprehensibilis bonitas, non finita sapientia, non certis inclusa terminis magnitudo, quam assequi valeat humanæ mentis acies, ne dum explicare facundia.

Eundem etiam definiendi modum adhibebis, cùm in rem incides paruam admodum, & exilem, *de qua quis visa dicere possit vbi est?* Accidit enim quan-

a *De fide contra Arrianos lib.* 6.
b *Lib. p. de Nat. Deorum.*

quandoque, vt ingeniorum contentio ſtylum circa nebulas occupet; vt ſi Callicrateam formicam deſcribendam ſuſcipias, vel atomum volitantem, cuius neque metiri quantitatem potes, neque partes diſtinguere, neque diſpicere colorem.

Maximè valent ad amplificandum Definitiones conglobatæ; cùm ſcilicet plures colliguntur eiuſdem rei preſſæ Definitiones. Celebres ſunt illæ Tullij *lib. 2. de Oratore.*

Hiſtoria eſt teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis.

Eleganter D. Ambroſius os humanum Definitionibus conglobatis commendat *lib. 6. Hexam. c.* 9.

Quid eſt igitur os hominis, niſi quoddam ſermonis adytum, fons diſputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis?

Sed in his Definitionibus congerendis earum delectus habeatur, vt rei definitæ conueniant; neque ſemper eædem recurrant, aliæ ad laudem, aliæ ad vituperationem paratæ: aut generales quædam earum formulæ in promptu habeantur, ad omnia verſatiles. At neque nimis multæ aceruatim glomerentur, aut ſint nimis in Oratione frequentes; nihil enim eſt harum copia,

&

& frequentatione leuius, ac molestius.

De Notatione, & Coniugatis.

CAPVT QVARTVM.

NOTATIO, Græcè *ETYMOLOGIA, est vocabuli explicatio*. Hæc itaque verborum interpretem agit, eorumque originem ſcrutatur.

Seneca de Tranquillitate. *Liber* non ob licentiam linguę dictus eſt inuentor vini, ſed quia *liberat* ſeruitio curarum animum.

Ouidius 5. Faſtorum *A Senibus* nomen mite *Senatus* habet.

Etſi plerunque non multum habet momenti ad fidem faciendam hic Locus; aliquando tamen haud ſpernenda ſuggerit argumenta, tum laudis, tum vituperationis. Si ſpectes hæc nomina *LAVRENTIVS*, *VINCENTIVS*, *AMBROSIVS*, *MARGARITA*, *ROSALIA*, ſtatim eorum Notatio tibi offeret Lauream, Victoriam Nectar, Vnionem, Roſam, quæ in Diuorum commendationem vertere poteris, dignas cuiuſque nomine virtutes explicando; ſi enim conueniant præclaris nominibus mores, tum ne nomen quidem vacuum eſt laudis.

Quòd

Quòd si nomina minùs idonea significatione repugnare laudi videantur; cuiusmodi sunt ista *BARBARA, LVPVS, SATYRVS, BASILISCVS &c.* ad Antiphrasim confugies, vel aliunde nominum originem aptiùs ad rem tuam deriuabis: atque ita ostendes Barbaram non à sua, sed à paterna indole denominatam: eundem parentem nactam, & carnificem, illius barbarie triumphata fecisse nomen illustre. Sanctum Antistitem Lupum commissi gregis Pastorem amantissimum totum sui nominis terrorem in Tartareum prædonem vertisse: pium verè Lupum, qui ex ipsis Erebi faucibus raperet oues &c.

Ex eadem quoque nominum pharetra spicula educuntur, quæ acutissimè feriant. Cicero in Verrem hoc ipsum nomen in probrum torquet, à *Verro* sordidissimo bruto deriuatum; vt cùm ludit in improbas leges ab eo latas. *Mirandum non est, ius Verrinum tam esse nequam*. Alibi à verrendo, carpens illius rapacitatem, qua populorum opes euerrebat. *Quod vnquam Iudices huiusmodi euerriculum vlla in Prouincia fuit?*

Speciosa prauorum nomina vel vt præposterè imposita traducantur, vel in deteriora mutentur, quæ magis per-

sonæ

ſonæ conueniant. Sic D. Hieronymus Vigilantium hæreticum veriùs *Dormitantium* vocandum cenſuit, vt qui ſtultiſſimam doctrinam ſomniaret. D. Io: Chriſoſtomus Iulianum *Idolianum* appellauit, quòd ſinceræ pietatis deſertor Idolorum cultum reſtituere conaretur.

Huc referuntur Alliterationes, quæ ludunt circa nomen, cum aliqua literarum immutatione, vel additione, vel detractione, ſiue inuerſione; neque eſt, cur hæc minutiora ſingillatim explicemus. Pauca ſufficiant ad exemplum.

Titum Labienum dicaciſſimum hominem, non Labienum, ſed *Rabienum* Romani vocauere.

Bibaciſſimus Imperator Bonoſus *Vinoſus* audijt; *bibere* dictus, non viuere.

Pupillus Orbilius Gramaticus deſtitutus memoria, Pupillus *Obliuius* à Bibaculo nuncupatus.

Quærenti quid eſt Iuuentus? *Ventus* mutilato nomine reſpondit Echo.

His adduntur Anagrammata, maximè quæ à Nominum elementis educuntur, vt *ROMA Amor*. *VRSVLA Laurus*.

Interrogat Ieſum Pilatus: *QVID EST VERITAS?* obmuteſcit mitiſſimus

mus Agnus, at Anagramma respondet: *Est Vir, qui adest.*

Nota sunt illa. *ARISTOTELES. Sol erat iste. DIVVS MARCVS EVANGELISTA. Sum vigil ad Venetas curas. MARTINVS LVTERVS. Ter matris vulnus. CALVINVS. Lucianus.*

Plura non subnectam; cum horum artifices non desint; qui noua cudant in dies, siue à literis, siue à numeris deprompta. Horum artificium alibi quære, cui per me alij dent operam; nam quanuis Anagrammata non careant laude, si excellant, plerunque tamen excellunt, quæ faciliùs nascuntur: at illis operosiùs inquirendis inhærere, otiosi hominis est, & in leuissimis occupati Martial. l. 2. Epigr. 61.

Turpe est difficiles habere nugas:
Et stultus labor est ineptiarum.

Per se quidem Notatio haud multùm est Amplificationis fœcunda; sed illius inopiam eruditio supplebit. Iuuabit itaque nosse nominum originem, eorumque significationem, & quæ in his imponendis à veteribus obseruata: respicere ·· ·oque Maiores, qui eodem nomine, in cuius Notatione versamur, vel virtute, & gloria claruerint ad laudem, vel qui vitijs, & fama laborauerint, ad vituperationem; atque alia id genus. Vt autem videas nihil esse adeò

steri-

ſterile, vnde materiam non hauriat ingenij fœcunditas, lege tria Martialis elegantiſſima Epigrammata, à ſola Notatione deducta, eaque ſunt 8. 9., & 10. libri 9. in Earini nomen, deriuatum à Vere.

Cæterùm aptiſſimus facetijs, & argutijs hic Locus; quibus tamen cum delectu, ac prudenter vtendum, ne nugemur in ſerijs, neue ſalibus ineptiſſimis in ſpergatur Oratio, in quibus fruſtra quæratur mica ſalis.

CONIVGATA ſunt ea, quæ ab vno deriuata variè commutantur, vt à Prudentia prudens, prudenter.

Cicero Quæſt. Tuſcul. 4. Qui enim poteſt, in quo libido cupiditaſue ſit, non cupidus, non libidinoſus eſſe; in quo ira non iracundus; in quo amor, non anxius; in quo timor, non timidus?

Adhæc illa ſpectant, quæ licet nomine differant, re tamen conueniunt: vt Probitas, Innocentia, Integritas. Qui enim innocens, idem probus, idem vitæ integritate præſtat.

Minorem adhuc, quàm Notatio, copiam afferunt Coniugata, Argumentationi, quàm Amplificationi aptiora; pariter tamen ad iocos, & accumina valent; hinc illud Ciceronis *Act. 3. in Verrem*, quem vbique vel acerbè, vel

vel iocosè pestringit.

Quæ iste cum cognouisset nouus Astrologus, qui non tam *cæli* rationem quàm *cælati* argenti duceret.

Argutè Ouidius. *Aurea* nunc verè sunt secula, plurimus *auro*
Venit honos: *auro* conciliatur amor.

De Partium Enumeratione.

CAPVT QVINTVM.

P*ARTIVM ENVMERATIO est rei in suas partes distributio*. Partes sunt, quæ aliquod Totum quoquomodo componunt. Sic Puppis, Prora, Carina sunt partes Nauis. Infantia, Pueritia, Adolescentia &c. sunt Vitæ partes. Senatus, Equester Ordo, Populus sunt partes Ciuitatis: vt, Vrbis Arces, Mœnia, Templa &c. Exactiores partium distinctiones modò ne quære; has enim Philosophis relinquo.

Reuocari quoque huc solet diuisio Totius Metaphysici in sua inferiora; vt Generis in Species, Speciei in Indiuidua. Sed hæc infra peculiarem habent sedem. Certè si amplissima spectetur Enumerationis latitudo, ad illam omnia referuntur, quæ diuidi aliqua ratione possunt, vel re ipsa, vel mente distincta. Atque ita hic Locus

cæteros quosque complectitur, cùm fiant Enumerationes Definitionum, Specierum, Adiunctorum, Similiũ &c.

Plurimum habet vbertatis Partium Enumeratio, Amplificationibus, ac Descriptionibus apprimè vtilis. Illustre huius exemplum præbet, facilemq; methodum amplificandi ab hoc loco Quintilianus lib. 8. cap. 3.

Sine dubio (inquit) qui dicit *captam esse Ciuitatem*, complectitur omnia, quæ talis fortuna recipit; sed in affectus minus penetrat breuis hic velut nuntius. At si aperias hæc, quæ verbo vno inclusa erant, apparebunt, & fusæ per domos, ac templa flammæ, & ruentium tectorum fragor, & ex diuersis clamoribus vnus quidam sonus. Aliorum fuga incerta, alij in extremo complexu suorum cohærentes, & infantium, fœminarumque ploratus, & malè vsque in illum diem seruati senes. Tum profanorum, sacrorumque direptio, efferentium prædam, repetentiumque discursus; & acti ante suum quique prædonem catenati, & conata retinere infantem suum mater; & sicubi maius lucrum est, pugna inter victores.

Ecce quàm vberem dicendi copiam affert partium distributio; cùm secus hoc tribus constet verbis. *Vrbs capta est*.

La-

Latinus Pacatus Galliæ ſuæ calamitatem grauiſſimè per partes exprimit *in Pan. Theod.*

Quis ſe nobis calamitate contulerit? quid ego referam vacuatas municipibus ſuis Ciuitates, impletas fugitiuis nobilibus ſolitudines? quid perfunctorum honoribus ſummis virorum bona publicata? capita diminuta? vitam ære taxatam? Vidimus redactas in numerum dignitates, & exutos trabeis conſulares, & ſenes fortunarum ſuperſtites, & infantium ſub ipſo lictore ludentium flendam ſecuritatem; cùm interim miſeri vetabamur agere miſeros, immò omnes cogebamur mentiri beatos. Audires dicere delatorem; quid ille triſtis incedit? an quia pauper ex diuite eſt? non enim ſe viuere gratulatur. Quid ita hic publicum atratus inceſtat? luget credo fratrem; ſed habet filium. Ita flere non licebat amiſſa metu reliquorum. Serenos ergo nubilis mentibus vultus induebamus, & ad illorum vicem, qui guſtato Sardorum graminum ſucco feruntur in morte ridere, imitabamur læta mærentes.

D. Hieronymus vegetum ſenem, integriſque ſenſibus valentem à partibus enumeratis egregiè deſcribit, *Epiſtola 8. lib. pr. ad Paulum Concordienſem.*

Ecce iam centenus ætatis circulus vo-

voluitur, & tu ſemper præcepta Domini cuſtodiens futuræ beatitudinem vitæ per præſentia exempla meditaris. Oculi puro lumine vigent: pedes imprimunt certa veſtigia: auditus penetrabilis, dentes candidi, vox ſonora, corpus ſolidum, & ſucci plenum. Cani cum rubore diſcrepant, vires cum ætate diſſentiunt. Non memoriæ tenacitatem (quod in pleriſque cernimus) antiquior ſenecta diſſoluit: non calidi acumen ingenij frigidus ſanguis obtundit: non contractam rugis faciem arata frons exaſperat: non denique tremula manus per curuos ceræ tramites errantem ſtylum ducit. Futuræ nobis reſurrectionis virorem in te Dominus oſtendit; vt peccati ſciamus eſſe, quòd cæteri adhuc viuentes præmoriuntur in carne; iuſtitiæ, quòd tu adoleſcentiam in aliena ætate mentiris.

De Genere, & Specie.

CAPVT SEXTVM.

GENVS *eſt id, quod conuenit pluribus, Specie differentibus*. Sic *Arbor* eſt Genus, quia conuenit Cedro, Platano, Abieti, alijſque Arboribus, quæ inter ſe Specie differunt.

SPECIES, ſeu FORMA eſt, quæ plu-

ra

ra sub se continet, solo numero distincta. Sic *Vitis* est Species, sub se continens Vites omnes, quæ numero tantùm inuicem distinguuntur.

Licentiùs tamen Rhetores nomen Generis vsurpant, quàm Dialectici. Genus enim vocant quidquid de pluribus dici potest, siue numero tantùm, siue Specie distinctis; & Cicero quidem nomine Generis intelligit quodcunque commune vocabulum, etiamsi tantùm Indiuidua complectatur.

Habet vim maximam ad amplificandum hic Locus; quod duobus modis fieri potest: primò descendendo à Genere ad Species, vel ab aliquo vniuersali capite ad ea, quæ sub ipso continentur: vt si ad probandum exitiale humani generi Vitium esse, Ambitionis, Auaritiæ, Iracundiæ damna recenseas. Secundò excurrendo in Genus, cùm de aliqua tantum illius parte agitur: vt si ad extollendam Prudentiam, Virtutem priùs generatim commendes. Ita latissimus Amplificationis campus aperitur: latiùs enim de Genere, quàm de parte disceptare licet, vt docet Cicero de Oratore; vbi etiam refert Aristotelem adolescentes exercere solitum huiusmodi Orationibus ad vniuersum Genus traductis, vt vberiorem dicendi facultatem compararent.

Idem *pro Archia Poeta* de Artis Poeticæ laudibus dicturus has primùm desumit à Genere ; hinc descendit ad Speciem.

A Genere.

Etenim omnes Artes, quæ ad Humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, & quasi cognatione quadam inter se continentur.

Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium, ac solatium præbent; delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

Hinc fertur ad Speciem.

Atqui sic à summis hominibus, eruditissimisq; accepimus, cæterarum rerum studia & doctrina, & præceptis, & arte constare; Poetam natura ipsa valere, & mentis viribus excitari, & quasi diuino quodã spiritu afflari. Quare suo iure noster ille Ennius sanctos appellat Poetas, quòd quasi Deorũ aliquo dono, atq; munere commendati nobis esse videantur.

Idem *pro Sexto Roscio*, vt ostendat incredibile esse Patrem ab ipso fuisse interfectum, priùs atrocitatem Parricidij generatim amplificat, ab illis verbis. *De Parricidio causa dicitur &c.*

Profectò res tam scelesta, tam atrox, tam nefaria credi non potest. Magna

eſt enim vis humanitatis, multum valet communio ſanguinis, reclamitat iſtiuſmodi ſuſpicionibus ipſa natura. Portentum, atque monſtrum certiſſimum eſt, eſſe aliquem humana ſpecie, & figura, qui tantùm immanitate beſtias vicerit; vt propter quos hanc ſuauiſſimam lucem aſpexerit, eos indigniſſimè luce priuarit; cùm etiam feras inter ſe partus, atque educatio, & natura ipſa conciliet &c.

Hæc magnitudo maleficij facit, vt niſi penè manifeſtum parricidium proferatur, credibile non ſit; niſi turpis adoleſcentia, niſi omnibus flagitijs vita inquinata, niſi ſumptus effuſi, cum probro, atque dedecore, niſi prorupta audacia, niſi tanta temeritas; vt non procul abhorreat ab inſania &c.

Seneca *de Beneficijs lib.7.cap.26.*, vt doceat non eſſe expectandam fidem, & gratiam ab hominibus; cùm tot vitijs laborent, à grati animi virtute alienis, in eorundem vitiorum Species dilabitur.

Quis eſt iſtorum tam firmæ mentis, ac ſolidæ, vt tutò apud eum beneficia deponas? alius libidine inſanit, alius abdomini ſeruit, alius lucri totus eſt, cuius ſummam non vinces: alius inuidia laborat, alius cæca ambitione, & in gladios ruente. Adijce torporem

mentis, ac ſenium, & huic contrariam inquieti pectoris agitationem, tumultuſque perpetuos: adijce æſtimationem ſui nimiam, & tumorem, ob quæ contemnendus eſt, inſolentem. Quid contumaciam in peruerſa nitentium, quid leuitatem ſemper aliò tranſilientem loquar? Huc accedat temeritas præceps, & nunquam fidele conſilium daturus timor, & mille errores, quibus voluimur: audacia timidiſſimorum, diſcordia familiariſſimorum, & publicum malum incertiſſimis fidere, faſtidire poſſeſſa, optare, quæ conſequi poſſe ſpes non fuit. Inter affectus inquietiſſimos, rem quietiſſimam, fidem quæris?

De Similitudine, & Diſſimilitudine.

CAPVT SEPTIMVM.

SIMILITVDO *eſt diuerſarum rerum collatio, qua in aliquo conueniunt, licet aliunde differant*. ex. gr. *Tempus*, & *Flumen* duo ſunt valde diuerſa: in eo tamen conueniunt, quòd vtrunque ocyſſimè difluit, atque ideò tempus Flumini per ſimilitudinem comparatur.

Ouidius *l.* 15. *Metam.*

Ipſa quoque aſſiduo labuntur tempora motu

Non

Non ſecus ac flumen : neque enim conſiſtere flumen,
Nec leuis hora poteſt &c.

Duplex eſt Similitudo : alia perfecta; alia imperfecta. Perfecta eſt, quæ conſtat duabus partibus; quarum prima dicitur Propoſitio, ſeu Protaſis, quæ præferre ſolet huiuſmodi particulas : *Vt*, *Quemadmodum*, *Sicut*, *Veluti &c.* Secunda dicitur Redditio, ſeu Aſſumptio, vel Apodoſis, quæ notatur his particulis *Ita*, *ſimiliter*, *non ſecus*, *non aliter &c.*

Cic. Philipp. 2. Vt quidam morbo aliquo, & ſenſus ſtupore ſuauitatem cibi non ſentiunt : ſic libidinoſi, auari, facinoroſi veræ laudis guſtum non habent.

Similitudo imperfecta eſt, quæ geminas partes explicitas non habet; nec vtranque ſuis particulis diſtinguit :

D. Hieronymus. *Ad Letam de Inſtitutione Filiæ.* Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchylia quis in priſtinum candorem reuocet? recens teſta diu, & ſaporem retinet, & odorem, quo primùm imbuta eſt.

Quòd ſi breuiùs, ac preſsiùs efferatur Similitudo, migrat in Metaphoram, quæ, vt alibi ex Tullio docui, eſt Similitudinis ad verbum vnum contracta

breuitas. Cùm enim dicis ex. gr. *Adolescentiæ florem*, non ne vnico illo verbo (*florem*) Similitudinem illam contrhais: *Adolescentia similis est flori*?

Quò longiùs petita Similitudo est, minùsq; vulgaris, vt plus nouitatis, plus laudis habet; atque hinc etiam Metaphoræ pretium: quanuis illud etiam custodiendum; ne quod Similitudinis gratia asciuimus, aut obscurum sit, aut prorsus ignotum. *Quintil. l. 8. cap. 3.*

Oblectant plurimùm Similitudines, & Orationem ornant, ac illustrant. Varius est eas tractandi modus. Aliquando ad rem magis declarandam vtraque pars Similitudinis explicatur; aliquando ingeniosa breuitate corripitur, vt plus intelligendum relinquat quàm dicat. Talis est illa Ciceronis in Clodium. *Quo ex iudicio, velut incendio nudus aufugit*; atque huiusmodi sunt omnes imperfectæ Similitudines, quæ quasi cursim attinguntur, ac vim habent plura circuncisè, atque velociter ante oculos ponendi.

Ad amplificandum aut plures conglobatæ nectuntur, aut vna fusiùs, & ornatiùs extenditur; dilatando scilicet Protasim, & Apodosim: ad quod vtiles erunt Descriptiones, Distributiones, Expolitiones, aliæque huiusmodi Figuræ pertinentes ad copiam.

Con-

Conglobátas Similitudines adhibet Latinus Pacatus *in Pan. Theod.*

Gaudent profectò diuina perpetuo motu, & iugi agitatione se vegetat æternitas, & quidquid homines vocamus laborem, vestra natura est. Vt indefessa vertigo Cœlum rotat: vt Maria æstibus inquieta sunt, & stare Sol nescit: ita tu Imperator continuatis negotijs, & in se quodam orbe redeuntibus semper exercitus es.

Diffusa Similitudine vtitur egregiè Seneca *lib. 1. de Ira cap. 5.*

Protasis.

Nempe Medicus primò in leuibus vitijs tentat non multum ex quotidiana consuetudine inflectere; & cibis, potionibus, exercitationibus ordinem ponere; ac valetudinem, tantùm mutata vitæ dispositione, firmare. Proximum est, vt modus proficiat. Si modus, & ordo non proficit, subducit aliqua, & circuncidit. Si ne adhuc quidem respondet, interdicit cibis, & abstinentia corpus exonerat. Si frustra molliora cesserunt, ferit venam, membrisque, si adhærentia nocent, & morbum diffundunt, manus affert: nec vlla dura videtur curatio, cuius salutaris effectus est.

Apodosis.

Ita legum Præsidem, ciuitatisque rec-

torem decet, quandiu poteſt, verbis, & his mollioribus, ingenia curare; vt facienda ſuadeat, cupiditatemque honeſti, & æqui conciliet animis, faciatque vitiorum odium, pretium virtutum; tranſeat deinde ad triſtiorem Orationem, qua moneat adhuc, & exprobret; nouiſſimè ad pœnas, & has adhuc leues, & reuocabiles, decurrat; vltima ſupplicia ſceleribus vltimis ponat; vt nemo pereat, niſi quem perire etiam pereuntis interſit.

Familiares Poetis ſunt Similitudines, quarum copia præ cæteris Ouidius redundat: ſic *Eleg. pr. l. pr. de Ponto*.

Eſtur vt occulta vitiata teredine nauis,
Æquoreos ſcopulos vt cauat vnda Sali;
Roditur vt ſcabra poſitum rubigine ferrum,
Conditus vt tineæ carpitur ore liber:
Sic mea perpetuos curarum pectora morſus,
Fine quibus nullo conficiantur, habent.

DISSIMILITVDO eſt diuerſarum rerum diſſimilis affectio. Hæc itaque Similitudini oppoſita eſt, & ſicut illa in diuerſis rebus inter ſe collatis conuenientiam aliquam, hæc differentiam ſpe-

ſpectat; quare à Tullio in Partitionibus Oratorijs Differentia vocatur.

Seneca *Epiſt.* 61. Taurus pauciſſimorum iugerum paſcuis impletur: vna ſylua Elephantis pluribus ſufficit: Homo, & terra paſcitur, & mari.

Cicero *pro L. Murena* Sulpicium ſe ſe Iuriſperitia efferentem cum eodem virtute bellica præſtante viro à diſſimili confert.

Vigilas tu de nocte, vt tuis conſultoribus reſpondeas: ille, vt eò, quò intendit, maturè cum exercitu perueniat. Te gallorum, illum buccinarum cantus exſuſcitat. Tu actionem inſtituis; ille aciem inſtruit. Tu caues, ne tui conſultores; ille ne Vrbes, aut caſtra capiantur. Ille tenet, & ſcit, vt hoſtium copiæ; tu vt aquæ pluuiæ arceantur. Ille exercitatus eſt in propagandis finibus; tu in regendis.

Plinius *in Paneg. Traiani.* Ante te Principes faſtidio noſtri, & quodam æqualitatis metu vſum pedum amiſerant. Illos ergo humeri, ceruiceſque ſeruorum ſuper ora noſtra; te fama, te gloria, te ciuium pietas ſuper ipſos Principes vehunt; te ad ſidera tollit humus: ita communia, & confuſa Principis veſtigia &c.

Fuſæ Diſſimilitudines.

Latinus Pacatus *in Paneg. Theod.* At

quàm alter illorum Principum mos fuit,(quos loquar notum est) qui Maiestatem Regiam imminui, & vulgari putabant, nisi eos intra repositum Palatinæ ædis inclusos, tanquam aliquod Vestale secretum, veneratio occulta consuluisset: nisi intra domesticam vmbram iacentes solitudo prouisa, & silentia latè conciliata vallassent. Quin si quando in lucem venire, & diem ferre potuissent, lecticis, thensisque subuecti, & densissima circùm, supraq; coòperti virorum, armorùmque testudine, sensim, atque ad numerum mouebantur: tum longè populus abigebatur, nec otiosa Viatoris manus plebem verbere submouebat, vt secretum esset in publico.

At noster hic omnibus spectandus affertur; nec magis communem hunc diem, atque Solem, quàm nostrum Imperatorem videri licet.

Idem Theodosij frugalitatem cum veterum Imperatorum luxu à dissimili comparat.

Nam delicati illi, ac fluentes, & quales tulit sæpe Respublica, parum se lautos putabant, nisi luxuria vertisset annum, nisi hybernæ poculis rosæ innatassent, nisi æstiuam in gemmis capacibus glaciem Falerna fregissent. Horùm gulæ angustus erat noster orbis:

bis: namque appositas dapes non sapore iudicabant, sed sumptu. Illis demum cibis acquiescebant, quos extremus Oriens, aut positus extra Romanum Colchus Imperium, aut famosa naufragijs maria misissent; quos inuitæ quodammodo, reluctantique naturæ hominum pericula rapuissent. Vt taceam infami sæpe delectu scriptos in Prouincijs aucupes, ductasque sub signis venatorum cohortes militasse conuiuijs: nonne cognouimus cuiusdam retro Principis non prandia sæpe, sed fercula, S. H. millies æstimata patrimoniorum equestrium pretia traxisse?

Tuæ Imperator epulæ mensis communibus parciores, locorum, ac temporum fructibus instruuntur &c.

D. Hieronymus vitam Pauli Anachoretæ claudens grauissimè hoc loco vtitur, pauperi, sed sancta paupertate ditissimo Viro Superbos conferens, qui sua tumentes opulentia, dum tantùm peritura sectantur, amittunt æterna.

Libet in fine opusculi eos interrogare, qui sua patrimonia ignorant, qui domos marmoribus vestiunt, qui vno filo villarum insuunt pretia, huic Seni nudo quid vnquam defuit? Vos gemma bibitis: ille naturæ concauis manibus satisfecit. Vos in tunicis aurum

texitis: ille ne vilissimum quidem indumentum habuit mancipij vestri. Sed è contrario illi quidem pauperculo Paradisus patet: vos auratos Gehenna suscipiet. Ille vestem Christi nudus licet tamen seruauit: vos vestiti sericis indumentum Christi perdidistis. Paulus vilissimo puluere coopertus iacet resurrecturus in gloriam: vos operosa saxi sepulchra premunt cum vestris opibus arsuros.

Plura Dissimilitudinis hìc habes exempla, quæ te docent, qua ratione tractari, & amplificari possit; scilicet aut illam in plura membra distribuendo, & singula singulis conferendo; aut illius partes dilatando, vt antea de Similitudine dictum est.

De Oppositis.

CAPVT OCTAVVM.

OPPOSITA sunt illa, quæ ita inter se pugnant, vt neutrum illorum cum alio tertio eadem ratione pugnet: vt *Virtus*, & *vitium*.

In quatuor genera Opposita diuiduntur: Contraria, seu Aduersa Priuantia, Relatiua, & Contradicentia, seu Negantia.

CONTRARIA sunt, quæ sub eodem ge-

genere posita maximè discrepant, & se mutuo expellunt. Vt *Calor*, & *Frigus*: cùm enim contineantur sub eodem genere primarum qualitatum, ita inter se diffident implacabiles hostes, vt alter alterum pellat.

PRIVANTIA sunt, quorum alterum est habitus, siue res habita: alterum eiusdem rei priuatio. Vt *lux*, & *tenebræ*: *Morbus*, & *Sanitas*.

RELATIVA sunt, quorum vnum refertur ad aliud: vel quæ se inuicem respiciunt. Vt *Seruus*, & *Dominus*. *Pater* & *Filius*. Pater enim respicit Filium, & Filius Patrem.

CONTRADICENTIA sunt, quorum vnum affirmat, quod aliud negat. Vt *Iustus*, *Iniustus*, *Verecundus*, *Inuerecundus*. *Senectus est optanda*. *Senectus non est optanda*.

In his autem definiendis, distinguendis, ac tractandis Philosophica libella Rhetores non vtuntur. Quæcunque aliquo ex prædictis modis inter se pugnant, Opposita nomine communi vocamus; & ex quouis horum genere desumptam Amplificationem dicimus ab Oppositis.

Talis est illa Ciceronis *in Catilinam* 2. vbi Romanum exercitum opponit Perduellium Copijs.

Ex hac enim parte pudor pugnat,

 illinc

illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc ſtuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc ſcelus: hinc conſtantia, illinc furor: hinc honeſtas, illinc turpitudo: hinc continentia, illinc libido: denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, Virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignauia, cum temeritate, cum vitijs omnibus: poſtremo copiæ cum egeſtate, bona ratio cum perdita, mens ſana cum amentiæ, bona denique ſpes cum omnium rerum deſperatione confligit.

Huic non abſimilem adhibet Latinus Pacatus, Maximum Tyrannum conferens cum Theodoſio Auguſto.

An ſuſtinere te coram, & ſolum oculorum tuorum ferre coniectum ille quondam domus tuæ negligentiſſimus vernula, menſularumque ſeruilium ſtatarius lixa potuiſſet? non ſtatim ſubijſſet hominem præterita ſui, tuique reputatio? non ipſe ſibi obiecisset, te eſſe triumphalis Viri filium, ſe Patris incertum? te hæredem nobiliſſimæ familiæ, ſe clientem? te retro omni tempore Romani exercitus ducem, libertatis patronum; ſe Orbis extorrem, patriæque fugitiuum? iam verò te Principem in medio Reipublicæ ſinu omnium ſuffragio militum, conſenſu Proin-

uinciarum, ipsius denique ambitu Imperatoris optatum: se in vltimo terrarum recessu legionibus nescijs, aduersis Prouinciarum studijs, nullis denique auspicijs in id Tyrannici nominis adspirasse furtum? postremò tecum fidem, secum perfidiam, tecum fas, secum nefas; tecum ius, secum iniuriam; tecum clementiam, pudicitiam, religionem; secum impietatem, libidinem, crudelitatem, & omnium scelerum, postremorumque vitiorum stare collegium?

Seneca *de beata vita cap.* 7., quantùm Virtus à Voluptate dissideat, alteram alteri opponens, egregiè ostendit.

Quid dissimilia, immò diuersa componitis? Altum quidam est Virtus, excelsum, regale, inuictum, infatigabile: Voluptas humile, seruile, imbecillum, caducum; cuius statio, ac domicilium fornices, & popinæ sunt. Virtutem in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris stantem, puluerulentam, coloratam, callosas habentem manus: Voluptatem latitantem sæpius, ac tenebras captantem, circa balnea, ac sudatoria, ac loca Ædilem metuentia, mollem, eneruem, mero, atque vnguento madentem, pallidam, fucatam, & medicamentis pollutam.

Se-

Seuerinus Boetius *de Consolat. Phil. lib. 2. prosa* 8. probat plus hominibus aduersam, quàm prosperam prodesse fortunam, vtranque per opposita comparando.

Illa enim semper specie felicitatis, cùm videtur blanda, mentitur. Hæc semper vera est, cùm se instabilem mutatione demonstrat. Illa fallit: hæc instruit. Illa mendax specie bonorum mentes fruentium ligat: hæc cognitione fragilis felicitatis absoluit. Itaque illam videas ventosam, fluentem, suique semper ignaram: hanc sobriam, succinctamque, & ipsius aduersitatis exercitatione prudentem. Postremò felix à vero bono deuios blanditijs trhait: aduersa plerunque ad vera bona reducens vnco trhait.

De Adiunctis.

CAPVT NONVM.

ADIVNCTA *dicuntur, quæ ita rebus coniuncta sunt, vt illis necessariò non hæreant:* vt *color* vultus, *rugæ* frontis, crinis *rubor*, vel *canities &c.*

Hæc in septem capita diuiduntur notissimo carmine.

Quis, Quid, Vbi, Quibus auxilijs, Cur,

Cur, *Quomodo*, *Quando*.

QVIS perſonam ſpectat, in qua conſiderantur adiuncta Corporis, Animi, & Fortunæ.

Corporis: vt robur, vel imbecillitas; pulchritudo, vel deformitas; ægritudo, vel ſanitas; & quæ attinent ad ipſius Corporis cultum.

Animi: vt Virtutes, & Vitia, ingenium, artes, mores, doctrina, vel ignorantia.

Fortunæ: vt Genus, Patria, dignitates, copia, vel inopia rerum.

QVID expendit adiuncta facti: an facile, an difficile; an honeſtum, an turpe; an inſolitum, mirabile &c. ſiue rei attributa: vt ſi agatur de ſupellectile, ſit ne ſacra, an profana; elegans, an ſordida; parui, an magni pretij.

VBI deſignat loci differentias; cuiuſmodi ſunt amœnitas, fertilitas, amplitudo, religio; vel contra ſterilitas, horror, anguſtia, ſolitudo &c.

AVXILIA complectuntur ſocios, miniſtros, inſtrumenta, quæ ad rem gerendam adhibentur.

CVR explorat finem, propter quem res geſta eſt: ad priuatum ne potiùs, an ad publicum bonum; an ſpe lucri, an gloriæ cupiditate.

QVOMODO explicat rei geſtæ modum:

dum: quo tumultu, qua violentia, qua celeritate, qua pompa &c. totam etiam facti seriem euoluit; ad quam pertinent Præcedentia, Concomitantia, & Subsequentia, quæ ab alijs dicuntur Adiuncta *Ante rem*, *Cum re*, *& Post rem*. Prima sunt, quæ rem antecedunt; vt belli apparatus ante prælium. Secunda, quæ rem concomitantur: vt concursus militum, vulnera, & cædes in ipso prælio. Tertia, quæ rem subsequuntur: vt hostium fuga, captiuitas, clades, relataque ab illis præda post prælium.

QVANDO temporis partes, ac discrimina ostendit; noctem, meridiem, hyemem, æstatem: varias quoque illius vices; vt pluuiam, vel serenitatem, & fortuitos euentus; vt celebrata Sacrorum, natalium, nuptiarum, ludorumue solennia.

Mirum est quantæ sit fœcunditatis hic Locus ad amplificandum, arguendum, exornandum, ac describendum. Sanè vix alius est, qui frequentiùs in vsum Orationis veniat; quare maximè Oratorius à Tullio vocatur in Topicis.

Idem Tullius *Orat. 2. in Catilinam* huius effœminatos commilitones ab Adiunctis corporis, & animi describit.

Po-

Postremum autem genus est non solùm numero, verùm etiam genere ipso, atque vita, quod proprium est Catilinæ, de eius delectu, immò verò de eius complexu, ac sinu. Quos pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut barbatos videtis, manicatis, & talaribus, ac tritis tunicis, velis vestitos, non togis: quorum omnis industria vitæ, & vigilandi labor in antelucanis cœnis expromitur. In his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri, impudicique versantur.

Idem *pro Roscio Comœdo*, quasi Physiognomum agens, C. Fannij Cheræ mores ab exteriori specie coniectat.

Nonne ipsum caput, & supercilia illa penitùs abrasa, olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? nonne ab imis vnguibus ad verticem summum (si quam coniecturam affert hominis tacita corporis figura) ex fraude, fallacijs, mendacijs constare totus videtur; qui idcirco capite, & supercilijs semper est rasis, ne vllum pilum boni viri habere dicatur?

Idem *Actione* 3. ab Auxilijs elegantissimè exaggerat Verris rapacitatem, cui quò plures ministros, plures manus adhibebat.

Nego tibi ipsi vllum numum esse

numeratum. Sed cùm ob tua decreta, ob imperata, ob iudicata pecuniæ dabantur, non erat quærendum, cuius manu numerarentur, sed cuius iniuria cogerentur. Comites illi tui delecti manus erant tuæ. Præfecti, Scribæ, Medici, Accensi, Haruspices, Præcones manus erant tuæ. Quò quisque te maximè cognatione, affinitate, necessitudine aliqua attingebat, ita maximè manus tua putabatur. Cohors tota illa tua, quæ plus mali Siciliæ dedit, quàm si centum Cohortes fugitiuorum fuissent, tua manus sine controuersia fuit. Quidquid ab horum quopiam captum est, id non modò tibi datum, sed tua manu numeratum iudicari necesse est.

Plinius *in Paneg. Traiani* huius bellicam virtutem ab adiuncto temporis extollit.

Largimur, negamus *(hostibus)* vtrunque ex Imperij maiestate. Agunt gratias, qui impetrauerunt: non audent queri, quibus negatum est. An audeant, qui sciant te assedisse ferocissimis populis eo ipso tempore, quod amicissimum illis, difficillimum nobis; cùm Danubius ripas gelu iungit, duratusque glacie ingentia tergo bella transportat, cùm feræ gentes non telis magis, quàm suo Cœlo, suo side-

re

re armantur? Sed vbi in proximo tu; non secus, ac si mutatæ temporum vices essent, illi quidem latibulis suis clausi tenebantur; nostra agmina percursare ripas, & aliena occasione, si permitteres, vti; vltroque hyemem suam barbaris inferre gaudebant.

Idem ab Adiunctis animi, & Corporis eundem Traianum commendat.

At Principi nostro quanta concordia, quantusque concentus omnium laudum, omnisque gloriæ contingit: vt nihil seueritati eius hilaritate, nihil grauitati simplicitate, nihil maiestati humanitate detrahatur. Iam firmitas, iam proceritas corporis, iam honor capitis, & dignitas oris; ad hoc ætatis indeflexa maturitas, nec sine quodam munere Deorum festinatis senectutis insignibus ad augendam maiestatem ornata cæsaries, nonne longè latèque Principem ostentant?

D. Hieronymus Sabiniani scelus ab Adiuncto loci vehementer auget *tomo pr. epist.*48.

Infelicissime mortalium tu speluncam illam, in qua Dei Filius natus est, & veritas de terra orta est, & terra dedit fructum suum, de stupro condicturus ingrederis? non times, ne de Præsepi infans vagiat, ne puerpera Virgo te videat, ne Mater Domini

con-

contempletur? Angeli clamant, Pastores currunt, Stella desuper rutilat, Magi adorant, Herodes terretur, Hierosolyma conturbatur, & tu in cubiculum Virginis decepturus virginem irrepis? paueo miser; & tam mente, quàm corpore perhorresco, ponere tibi volens ante oculos tuos opus tuum. Tota Ecclesia nocturnis vigilijs Christum Dominum personabat, & in diuersarum gentium linguis vnus in laudibus Dei spiritus concinebat. Tu inter ostia quondam Præsepis Domini, nunc Altaris, amatorias epistolas fulciebas, quas postea illa miserabilis, quasi flexo adoratura genu, inueniret, & legeret &c.

De Antecedentibus, & Consequentibus.

CAPVT DECIMVM.

ANTECEDENTIA sunt illa, quibus positis Consequentia succedunt Quare vtraque necessaria ea connexione cohærent; vt illa præcedant, hæc sequantur. Necessitatem ordinis Boetius hanc vocat. *Lib. 2. in Topica Cicer.* Sic ver æstatem, flos fructum, conceptus partum præcedit.

CONSEQVENTIA sunt illa, quæ cum

cùm posita fuerint Antecedentia, sequuntur. Sic pœna culpam, victoria pugnam, mors vitam subsequitur.

Cicero *in Topicis* Antecedentia, & Consequentia, sicut etiam Repugnantia, propria Dialecticorum appellat. Et certè deductio Consequentis ab Antecedenti videtur potiùs argumentandi forma, quæ in omnibus Locis versari potest, quàm distinctus aliquis à cæteris Locus, vt sentit Rodulphus Agricola. Quintilianus *lib.4. cap.* 10., & alij Antecedentia, & Consequentia miscuere Adiunctis; quanuis Cicero dissentiat; quòd Adiuncta non semper eueniant, proinde non afferant Argumentationi ex sua natura necessitatem Conclusionis, sicut Antecedentia, & Consequentia. Hoc itaque discrimine distingui possunt: cæterum quasi finitima Adiunctis à Seuerino vocantur. *De differentijs Topicis lib.* 3. Hac de re plura vide apud Carbonem *lib.* 3. *de Inuentione cap.*22. Nos verò vsum Amplificationis nunc potiùs à Locis quærimus, quàm vim Argumentationis, de qua erit alibi agendum.

Cicero *Philippica* 7. ab Antecedentibus ostendit Antonium iam hostem à Senatu esse iudicatum, proindè turpe esse cum eodem pacem inire.

Quid porrò inconstantius, quàm quem

quem modò hoſtem non verbo, ſed re multis decretis iudicauiſtis, cum hoc ſubitò velle pace coniungi? niſi verò cùm C. Cæſari meritos illi quidem honores, & debitos, ſed tamen ſingulares, & immortales decreuiſtis vnam ob cauſam, quòd contrà M. Antonium exercitum comparauiſſet, non hoſtem Antonium iudicauiſtis: nec tum hoſtis eſt à vobis iudicatus; cùm laudati authoritate veſtra veterani milites, qui Cæſarem ſecuti eſſent: nec tum hoſtem Antonium iudicauiſtis; cùm fortiſſimis legionibus, quòd illum, qui Conſul appellabatur, cùm eſſet hoſtis, reliquiſſent, vacationes, pecunias, agros ſpopondiſtis. Quid? cum Brutum, omine quodam iſtius generis, & nominis, natum ad Remp. liberandam, exercitumque eius pro libertate Populi Romani bellum gerentem cum Antonio, prouinciamque fideliſſimam, atque optimam, Galliam laudibus ampliſſimis affeciſtis, tum non hoſtem iudicaſtis Antonium? Quid? cum decreuiſtis, vt Conſul alter, amboue ad bellum proficiſcerentur, quod erat bellum, ſi hoſtis Antonius non erat? &c.

Hinc paulò inferiùs ab Antecedentibus, & Conſequentibus Senatum deterret, ventura mala præmonſtrando; ſi cum ſuis in Vrbem recipiatur Antonius

nius nomine pacis, quæ tuta esse non possit.

Poteritis igitur exploratam habere pacem, cùm in ciuitate Antonium videbitis, vel potius Antonios?

Qui familiarem ingularit, quid hic occasione data faciet inimico? & qui illud animi causa fecerit, hunc prædæ causa quid facturum putatis? non rursus improbos decuriabit? non solicitabit rursus agrarios, non queretur expulsos?

Et Philippica 13.

Illis locus si in hac Vrbe fuerit, Vrbi ipsi locus non erit. Ora vobis eorum ponite ante oculos, & maximè Antoniorum, incessum, aspectum, vultum, spiritum: latera tegentes alios, sequentes alios, alios prægredientes amicos. Quam vim anhelitus, quas contumelias fore censetis, minasque verborum? nisi fortè eos pax ipsa leniet, maximèque cùm in hunc Ordinem venerint; salutabunt benignè, comiter appellabunt vnumquenque nostrum. Non recordamini per Deos immortales, quas in eos sententias dixeritis? acta M. Antonij rescidistis, leges refixistis, per vim, & contra auspicia latas decreuistis; totius Italiæ delectus excitauistis; Collegam, & socium scelerum omnium, hostem iudicauistis. Cum hoc quæ pax esse potest?

La-

Latinus Pacatus Theodosij beneficentiam ab Antecedentibus eximiè commendat; à præuijs scilicet promissionibus, quibus tanta inerat humanitas, & fides, vt iam pro summis essent beneficijs.

Nihil ita primoribus labris polliceris, quin promisso fidem subdas, & verba re sancias. Nemo iam nemo beneficia, quæ dederis, ab eo credit tempore computanda, quo dederis: quia tam certa sint, quæ spondes, vt tum videantur accepta; cùm spondes. Iam id ipsum, quòd antè promittis, nonne de summo purissimæ mentis candore proficiscitur? Nam cuius est animi nec vota hominum fatigare, nec adhibere muneribus artem difficultatis, sed denuntiare præstanda; vt & prolixior sit sensus bonorum; nec repentina felicitas attonitos, & similes reddat ingratis? Animos enim nostros subitis affectibus impares perindè lætitia, ac dolor, si deprehendat, externat. An non illa Romana pietatis notissimæ mater, nuntio mali Cannensis exterrita, filio reduce, quem flebat, diriguit in mortem; nec par esse gaudio potuit, quæ superfuerat orbitati? Conscius igitur Cælestis arcani, & naturalium depositorum, mauis hominibus sperata procedere, quàm insperata

su-

superuenire beneficia: nec immeritò; nanque fugitiua successuum repentinorum voluptas, vt occupat, sic relinquit: felicitas longior est, expectare securum. Itaque cùm hactenus natura esset statutum, vt bona sua homines nescirent, & tum primùm inciperent felicitate gaudere, cùm cœpissent esse felices; tu promittendo præstanda inuenisti tempus, quod nobis natura subtraxerat; vt quos adepta solùm iuuabant, etiam adipiscenda delectent.

D. Ambrosius Protoparentis culpam à Consequentibus malis exaggerat. *De vocatione Gentium l.pr.c.5.*

Omnes naturæ nostræ incolumitatem *primi* hominis præuaricatione perdidimus. Inde tracta mortalitas, inde multiplex animi, corporisque corruptio; inde ignorantia, & difficultas, curæ inutiles, illicitæ cupiditates, sacrilegi errores, timor vanus, amor anxius, iniusta gaudia, pœnitenda consilia, & non minor miseriarum multitudo, quàm criminum.

Sæpe aliquantò latiùs Antecedentia, & Consequentia sumuntur pro ijs omnibus, quæ rem præcedunt, vel subsequuntur; atque hæc frequentissima sunt in Amplificationibus, ac Descriptionibus. Quid enim visitatius, quàm

In varijs rerum humanarum vicibus exprimendis præteritorum cum præsentibus collatio, aut ex his coniectura futurorum?

Cicero *pro L. Murena circa finem Orationis*, illius præsentem calamitatem deplorat præcedenti dignitati comparatam.

Modò maximo beneficio Populi Romani ornatus fortunatus videbatur, quod primus in familiam veterem, primus in municipium antiquissimum consulatum attulisset: nunc idem squalore sordidus, confectus morbo, lacrymis, ac mærore perditus, vester est supplex Iudices, vestram fidem obtestatur, misericordiam implorat &c.

Latinus Pacatus *in Paneg. Theod.* circa finem exordij.

Quin illud me impulit ad dicendum; quòd vt dicerem nullus adigebat: non enim iam coacta laudatio, & expressæ metu voces periculum silentij redimunt. Fuerit, abieritque tristis illa facundiæ ancillantis necessitas; cùm trucem dominum auras omnes plausuum publicorum ventosa popularitate captantem mendax assentatio titillabat; cùm gratias agebant dolentes, & Tyrannum non prædicasse Tyrannidis accusatio vocabatur. Nunc

par

par dicendi, tacendiq; libertas,& quàm promptum laudare Principem, tam tutum siluisse de Principe. Libet igitur redditam postliminio securitatem loquendo experiri: libet inquam, quia neminem magis laudari Imperatorem decet, quàm quem minùs necesse est.

Ouidius *lib. pr. Metám.* in descriptione diluuij.

Occupat hic collem, cymba sedet alter adunca;
Et ducit remos illic, vbi nuper ararat.
Et modò quà graciles gramen carpsere capellæ,
Nunc ibi deformes ponunt sua corpora phocæ.

Consequentia Ominationibus, ac futurorum Descriptionibus aptissima sunt. Ex hoc loco Tullius *in Cat.* 4. subijcit oculis excidium, quod futurum præuidet, nisi perduellium furor comprimatur.

Videor enim mihi hanc Vrbem videre, lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium, subito vno incendio concidentem. Cerno animo sepultam Patriam, atque insepultos aceruos ciuium. Versatur mihi ante oculos aspectus Cethegi, & furor in vestra cæde bacchantis. Cùm verò mihi proposui regnantem Lentulum,

ficut ipfe fe ex factis fperaffe confeffus eft, purpuratum hunc effe Gabinium, cum exercitu veniffe Catilinam, tum lamentationem matrum familias, tum fugam virginum, atque puerorum, ac vexationem Virginum Veftalium perhorrefco.

De Repugnantibus.

CAPVT VNDECIMVM.

REPVGNANTIA *funt ea, quæ neque certa lege, neque certo numero inter fe diffident, at fimul ftare non poffunt*; vt amare, & nocere. A Boetio definiuntur Contrariorum confequentia: quare toties fiunt Repugnantia, quoties vni Contrariorum opponuntur, quæ alteri conueniunt. Vt fi edendi auiditas, & menfarum luxus, quæ intemperantiæ conueniunt, cum temperantia conferantur.

Aliqui huc omnia referunt, quæ funt inter fe diuerfa, ac difparata. Et ita innumera certè funt Repugnantia; cùm res quælibet cæteris repugnet, quæ non funt ipfa: lapis enim ex. gr. repugnat arbori, pifci, volucri, & cuicunque rei, quæ fit aliquid aliud, quam idem lapis.

Cicero *pro Sexto Rofcio* colligit à Re-

Repugnantibus illius innocentiam, & confictum ab Erucio crimen refellit. Ipsum accusatorem alloquitur.

Et simul tibi in mentem veniat facito, quemadmodum vitam huiusce depinxeris. Hunc hominem ferum, atque agrestem fuisse; nunquam cum homine quoquam collocutum esse, nunquam in oppido constitisse. Qua in re prætereo illud, quod mihi maximo argumento ad huius innocentiam poterat esse, in rusticis moribus, in victu arido, in hac horrida, incultaque vita huiusmodi maleficia gigni non solere.

Illud quæro; is homo, qui (vt tu te dicis) nunquam inter homines fuerit, per quos homines hoc tantum facinus, tam occultum, absens præsertim conficere potuit?

Pro P. Sylla eundem tuetur ex hoc loco à suspicione coniurationis.

In hoc vos pudore iudicij, & in hac vita, tanto sceleri locum fuisse creditis? aspicite ipsum; contuemini os; conferte crimen cum vita, vsque ad hoc tempus explicata: tum crimen recognoscite. Mitto Remp., quæ fuit semper Syllæ carissima; hos ne amicos, tales viros, tam cupidos sui, per quos res eius secundæ quondam erant ornatæ, nunc sublevantur aduersæ, cru-

delissimè perire voluit;vt cum Lentulo, & Catilina, & Cethego fœdissimam vitam, ac miserrimam turpissima morte proposita degeret? Non, inquam, cadit in hos mores, non in hunc pudorem, non in hanc vitam, non in hunc hominem ista suspicio.

Idem *pro L. Murena* saltatoris conuitium, quod in eum Cato coniecerat, à Repugnantibus diluit.

Saltatorem appellat L. Murenam Cato, maledictum est, si verè obijcitur, vehementis accusatoris, sin falsò, maledici conuitiatoris. Quare, cùm illa sis authoritate, non debes M.Cato arripere maledictum ex triuio, aut ex scurrarum aliquo conuitio, neq; temerè Consulem populi Romani saltatorem vocare; sed conspicere, quibus præterea vitijs affectum esse necesse sit eum, cui verè illud obijci possit. Nemo enim ferè saltat sobrius, nisi fortè insanit, neque in solitudine, neque in conuiuio moderato, atque honesto. Intempestiui conuiuij, amœni loci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio. Tu mihi arripis id, quod necesse est omnium vitiorum esse postremum, relinquis illa, quibus remotis hoc vitium omnino esse non potest? Nullum turpe conuiuium, non amor, non comessatio, non libido, non sumptus osten-

ditur; & cùm ea non reperiantur, quæ voluptatis nomen habent, quæque vitiosa sunt; in quo ipso luxuriam reperire non potes, in eo te vmbram luxuriæ reperturum putas?

De Causis.

CAPVT DVODECIMVM.

CAVSA *est, quæ per se producit effectum*. Ita Deus prima est rerum creatarum Causa, quas omnes infinita sua virtute producit.

Quatuor sunt Causæ, *EFFICIENS*, *MATERIALIS*, *FORMALIS*, & *FINALIS*.

CAVSA EFFICIENS est, à qua res fit. Sic Pictor est Causa Efficiens picturæ. Huic subduntur Causæ adiuuantes, seu instrumentales; cuiusmodi sunt instrumenta, quibus vtitur Efficiens ad producendum effectum. Huc etiam referuntur Causæ interimentes, seu destruentes: vt morbi, qui sanitatem, seditiones, quæ publicam quietem euertunt.

CAVSA MATERIALIS complectitur omnem materiam. *MATERIA est id, ex quo, vel in quo res fiunt, vel circa quod efficientis actio versatur*. Ita colores sunt materia, ex qua fit

pictura; tabula est materia, in qua pictura exprimitur; res pingendæ sunt materia, circa quam Pictor artem suam exercet.

CAVSA FORMALIS omnes rerum formas complectitur. *FORMA est, per quam res est id, quod est, & distinguitur à cæteris.* Diuiditur in intimam, & externam. Forma intima est, quam Philosophi *essentialem* vocant, pertinens ad rei substantiam. Sic anima rationalis est hominis forma.

Externa est subiecta sensibus rerum species, siue sit à natura, siue ab arte proueniat; & consistit in certa quadam figura, partium dispositione, & colore. Ita corporis pulchritudo externa hominis forma est; elegantia, & proportio membrorum forma simulacri.

CAVSA FINALIS est finis, propter quem aliquid fit. Sic præda referenda est Causa Finalis, seu finis venationis, lucrum mercaturæ, præmium laboris.

A Causis Efficientibus illud est Ciceronis *in Verrem Act.2.*

Multa & in Deos, & in homines impiè, nefariéque commisit, quorum scelerum pœnis agitatur, & à mente, consilioque deducitur. Agunt eum præ-

cipitem pœnæ ciuium Romanorum, quos partim securi percussit, partim in vinculis necauit; partim implorantes iura libertatis,& ciuitatis in crucem sustulit. Rapiunt eum ad supplicium Dij patrij: quòd iste inuentus est, qui è complexu parentum abreptos filios ad necem duceret, & parentes pretium pro sepultura liberum posceret. Religiones verò, cæremoniæque omnium sacrorum, fanorumque violatæ, simulacraque Deorum; quæ non modò ex suis templis ablata sunt, sed etiam iacent in tenebris ab isto retrusa, atque abdita, consistere eius animum sine furore, atque amentia non sinunt.

Ex hoc eodem loco illud est Senecæ *epist.* 78. *ad Lucillum*, vbi de instaurata bona valetudine loquitur.

Quæ mihi tunc fuerit solatio dicam, si priùs hoc dixero, ea, quibus acquiescebam, vim medicinæ habuisse. In remedium cedunt honesta solatia, & quidquid animum erexit etiam corpori prodest. Studia mihi nostra saluti fuerunt. Philosophiæ acceptum fero, quòd surrexi, quòd conualui: illi vitam debeo, & nihil minus debeo. Multum mihi contulerunt ad bonam valetudinem amici, quorum adhortationibus, vigilijs, sermonibus alleuabar. Nihil æquè Lucili virorum opti-

me ægrum reficit, atque adiuuat, quàm amicorum affectus &c.

Idem à Causa Materiali, & Formali splendidam suppellectilem describens elegantissimè carpit profusi luxus insaniam *Lib. 7. de Beneficijs cap.* 90.

Video elaboratam scrupulosa distinctione testudinem, & fœdissimorum, pigerrimorumque animalium testas ingentibus pretijs emptas; in quibus ipsa illa, quæ placet, varietas subditis medicamentis in similitudinem veri coloratur. Video istic mensas, & æstimatum lignum Senatoris censu, eò pretiosiùs, quò illud in plures nodos arboris infelicitas torsit. Video istic crystallina, quorum accendit fragilitas pretium. Omnium enim rerum voluptas apud imperitos ipso, quo fugare debet, periculo crescit. Video murrhina pocula: parùm scilicet luxuria magno fuerat; nisi quod vomant, capacibus gemmis inter se propinarent. Video vniones non singulos singulis auribus comparatos: iam enim exercitatæ aures oneri ferendo sunt. Iunguntur inter se, & insuper alij binis supponuntur. Non satis muliebris insania viros subiecerat, nisi bina, ac terna patrimonia auribus singulis pependissent. Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in qui-

bus

bus nihil est, quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit.

Lactantius Firmianus à Causa Efficiente, Formali, & Finali hominem commendat.

De Opificio Dei cap. 8.

Cùm igitur statuisset Deus ex omnibus animalibus solum hominem facere Cælestem, cætera vniuersa terrena, hunc ad Cœli contemplationem rigidum erexit, bipedemque constituit; scilicet vt eadem spectaret, vnde illi & origo est. Illa verò depressit ad terram, vt quia nulla his immortalitatis expectatio est, toto corpore in humum proiecto ventri, pabuloque seruirent. Hominis itaque solius recta ratio, & sublimis status, & vultus Deo Patri communis, ac proximus, originem suam, fictoremque testatur.

D. Ambrosius humanæ vitæ infelicitatem exaggerat, à Causis, quæ miseram illam efficiunt. *Tom.* 5. *Orat.* 8.

Nunquid ergo, quod viuimus in hoc Mundo, dicere vitam possumus; quam humores corrumpunt, dolores extenuant, ardores exsiccant, aeris inclementia morbis reddit obnoxiam, escæ inflant, ieiunia macerant, ioci dissoluunt, tristitiæ consumunt, solitudo coarctat, securitas hebetat, diuitiæ iactant, paupertas deijcit, iuuentus ex-

tollit, senectus incuruat, infirmitas frangit, mæror deprimit, & his omnibus malis mors furibunda succedit?

Idem hominem definit à Forma intima, & substantiali *lib.* 6. *Hexam. c.* 7.

Aliud sumus nos, aliud sunt nostra, aliud, quæ circa nos sunt. Nos sumus; hoc est anima, & mens. Nostra sunt corporis membra, & sensus eius. Circa nos pecunia est, serui sunt, & vitæ istius apparatus. Tibi ergo attende, & te ipsum scito; hoc est, non quales lacertos habeas, non quantam corporis fortitudinem, non quantas possessiones, quantam potentiam, sed qualem animum, ac mentem; vnde omnia consilia proficiscuntur, ad quam operum tuorum fructus refertur.

Cicero *pro Archia Poeta* Virtutis finem esse gloriam ostendit.

Nullam enim Virtus aliam mercedem laborum, periculorumque desiderat, præter hanc laudis, & gloriæ. Qua quidem detracta, Iudices, quid est quòd in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam breui tantis nos in laboribus exerceamus? Certè, si nihil animus præsentiret in posterum, & si quibus regionibus vitæ spatium circunscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas, nec tantis se labori-

bus

bus frangeret, neque tot curis, vigilijsque angeretur, neque toties de vita ipsa dimicaret.

De Effectis.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

EFFECTA *dicuntur à Tullio, quæ sunt orta de Causis*. Tot eorum sunt species, quot Causarum: nam quælibet Causa suum habet Effectum; immò & in vnum omnes concurrunt. Sic ad Frænum ex.gr. faciendum concurrit Faber, vt Causa Efficiens; Ferrum, vt Materia; Figura Fræni, vt Forma externa; Causa regendi equi, vt Finis, propter quem fit Frænum. Quanuis autem Finis priùs Causam Efficientem ad agendum moueat, antequam suum producat Effectum, nonnisi post Effectum obtinetur. Hinc illud est Philosophorum axioma. *Quod primum est in intentione, vltimum est in executione*.

Cùm igitur effecta sint orta de Causis, ita inuicem connectuntur, vt ex duobus Locis vnus propemodum fiat, nam cùm agimus de Effectis, inquirimus eorum Causas; cùm de Causis, confugimus ad Effecta. Sed cùm hæc illis notiora sint, faciliùs Oratori occurrunt, & maximam præbent Orationi

tioni fœcunditatem.

Cicero *lib. pr. Tusc. Quæstionum*; Philosophiam ab Effectis laudat.

Philosophia verò omnium mater artium, quid est aliud, nisi, vt Plato ait, donum, vt ego, inuentum Deorum? hæc nos primùm ad illorum cultum, deinde ad ius hominum, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam, magnitudinemque animi erudiuit; eademque ab animo tanquam ab oculis caliginem dispulit; vt omnia supera, infera, prima, vltima, media, videremus. Prorsus hæc diuina mihi videtur vis, quæ tot res efficiat, & tantas.

Idem *lib. 2. de Naturâ Deorum* Eloquentiam commendans.

Iam verò domina rerum eloquendi vis quàm est præclara, quàmq; diuina! quæ primum efficit, vt quæ ignoramus discere, & ea quæ scimus, alios docere possimus. Deinde hac cohortamur, hac persuademus, hac consolamur afflictos, hac deducimus perterritos à timore, hac gestientes comprimimus, hac cupiditates, iracundiasque restinguimus. Hæc nos iuris, legum, vrbium societate deuinxit. Hæc à vita immani, & fera segregauit &c.

Seneca *de consolatione ad Marciam cap. 30.* optabilem esse potiùs, quàm

hor-

horrendam mortem ostendere conatur, luculentum illi ab Effectis præconium texens.

O ignaros malorum suorum, quibus non mors, vt optimum inuentum Naturæ laudatur: quæ siue felicitatem includit; siue calamitatem repellit, siue satietatem, aut lassitudinem senis terminat, siue iuuenile æuum, dum meliora sperantur, in flore deducit, siue pueritiam ante duriores gradus reuocat, omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum, de nullis melius merita, quàm de his, ad quos venit, antequam inuocaretur. Hæc seruitutem inuito Domino remittit. Hæc captiuorum catenas leuat; hæc è carcere educit, quos exire imperium impotens vetuerat. Hæc exulibus, in patriam semper animum, oculosque tendentibus ostendit, nihil interesse inter quos quisque iaceat. Hæc vbi res fortuna malè diuisit, & æquo iure genitos alium alij donauit, exæquat omnia. Hæc est, quæ nihil quicquam alieno fecit arbitrio: hæc est, in qua nemo humilitatem suam sensit: hæc est, quæ nulli paruit &c.



De

De Comparatione.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

COMPARATIO *est, qua duo, vel plura conferuntur, spectata eorum quantitate;* atque ideo à Similitudine differt, quæ tantùm considerat rerum qualitatem; vt scilicet quale est vnum Simile, tale sit alterum in ea ratione, qua inter se conferuntur. At Comparatio æqualitatem, vel inæqualitatem spectat: hoc est, vt comparata vel paria sint, vel maiora, vel minora.

Paria sunt, quæ eiusdem sunt quantitatis, seu quæ nec elationem habent, nec submissionem; sunt enim inter se æqualia. (a)

Maiora dicuntur, quæ maioris momenti, ac ponderis in comparatione sunt: Minora, quæ minoris; nec aliter sentire videtur Tullius in Topicis, & Quintilianus *lib.* 5. *cap.* 10. De his tamen plures, diuersasque valde Scriptorum sententias vide apud Carbonem *lib.* 4. *de Inuentione cap.* 4.

Tripliciter ergo Comparatio tractatur: à Pari: à Maiori ad Minus: à Minori ad Maius.

A Pari; cùm Paria Paribus conferun-

a *Senor. Boet. de diff. Topicis.*

runtur. ex. gr. Quotquot adhuc vixere mortales aliqua calamitas exercuit. Nos quoque, dum viuimus, prement aduersa.

A Maiori ad Minus; cùm Minus deducitur ex Maiori. ex. gr. Fortis, & impiger animus ægrè luctatur in vitia. Hæc ne vincet ignauus, & mollis? *Minus vtique poterit ignauus, quod fortis vix potest.*

A Minori ad Maius; cùm Maius colligitur ex minori. ex. gr. Si plectendus est, qui læsit verbo; an non ille puniendus, qui cædit ferro? *Grauiorem certè meretur pœnam grauior culpa.*

Vtitur sæpe Comparatione Cicero, præsertim à Minori ad Maius, quæ frequentior est. Sic *pro Archia Poeta.*

Homerum Colophonij Ciuem esse dicunt suum, Chij suum vindicant, Salaminij repetunt, Smirnæi verò suum esse confirmant. Itaque etiam delubrum eius in Oppido dedicauerunt: permulti alij pugnant inter se, atque contendunt. Ergo illi alienum, quia Poeta fuit, post mortem etiam expetunt: nos hunc viuum, qui & voluntate, & legibus noster est, repudiabimus?

A Maiori ad Minus, illa est *in Diuinatione contra Q. Cæcilium.*

Quòd si ego hæc propter magnitudinem rerum, ac difficultatem assequi

non

non potui, qui in omni vita nihil aliud egi; quàm longè tute ab his rebus abesse arbitrare, quas non modò nunquam antea cogitasti; sed ne nunc quidem, cùm in eas ingrederis, quæ, & quantæ sint suspicari potes?

A Pari *pro L. Sylla*.

Neque verò quid mihi irascare intelligere possum. Si quòd eum defendo, quem tu accusas; cur tibi quoque ipse non succenseo, qui accusas eum, quem ego defendo? Inimicum, inquis, accuso meum: & amicum ego defendo meum.

At præter vim Argumentationis, maximam quoque Amplificandæ, & illustrandæ Orationi vtilitatem affert Comparatio, tam ad laudem, quàm ad vituperationem aptissima; cùm æquè virtutes, ac vitia magis comparata elucescant.

Latinus Pacatus Theodosij tyrocinium eximiè commendat, eundem clarissimis bellatoribus conferendo, ac præferendo.

Et priùs quidem, quàm ad illa veniam, quæ æui maturus egisti, summatim tuum illud attingam cum Patre diuino Castrense Collegium; actas sub pellibus hyemes, æstates inter bella sudatas, dies, noctesque præliando, aut vigilando consumptas, grauissimas pugnas

gnas terra, marique pugnatas. Non tam patiens Africanus rudimenta militiæ sub Paulo Patre tolerauit, nec pari indole Annibal puer in tentoria Hispana successit, nec futurarum spe certiore virtutum Philippæa castra Alexander nondum Magnus impleuit. Quos etsi plurima laude donauerit amplificatrix veri Vetustas, nihil tamen plus blandita præstitit, quàm, vt eos his annis secutos Regum, aut Ducum Castra vulgaret; in quibus tu ita fortiter multa gessisti, vt ea non tantùm Alexander, aut Africanus, aut Annibal videre, dum discerent, sed parentes, atque institutores eorum optassent facere, dum docerent.

Paulò inferius eundem quandoque rusticantem à Pari laudat.

Iam si placuisset Oppida rure mutare, vt tu vitæ oblitus vrbanæ exequaberis agricolam! audio Imperator, & credo, sæpe aliqua laborum tibi iniunxisse; & ne contraheres corporis veternum, huiuscemodi semper opere insidiantis otij tersisse rubiginem. Sic agrestes Curij, sic veteres Coruncani, sic nomina reuerenda Fabricij, cùm induciæ bella suspendebant, inter aratra viuebant; & ne virtus quiete languesceret, depositis in gremio Capitolini Iouis laureis triumphales viri rusticabantur.

Gra-

Graues, moratasque Comparationes dabit abundè Plutarchus in Paralellis Illustrium Virorum Vitis, in quibus Græcos, ac Latinos Heroes, quasi reuocans ad examen, singulos singulis ita confert, vt qua Virtutum laude, qua labe Vitiorum alter alteri præstiterit, ipsa contentione clariùs ostendat.

Frequentissima sunt in Comparationibus Exempla, vt ex his, quæ superiùs attuli, cognoscere potes; quare à multis ad hunc Locum, nec immeritò, reuocantur. Hæc Tullij suffragio *Act. 5. in Verrem* plurimum solent authoritatis habere ad probandum, & iucunditatis ad audiendum.

EXEMPLVM est alicuius facti, aut dicti præteriti, cum certi Authoris nomine, propositio. Ad Herennium lib. 4., vt si ad bellicam Ducis virtutem commendandam illum Cocliti conferas, qui solus impetum hostium sustinuit. Nec plura subijcio; cùm & præmissa sufficere hoc loco possint, horumque copia sit à Scriptorum, præsertim Historicorum, paginis haurienda. Nec desunt, qui Exemplorum Syluas collegerint, vt Valerius Max., Baptista Fulgosius, Officina Textoris &c.

In seligendis Exemplis primùm spectanda est Scriptoris fides; ne inania commenta, vel fabulæ aniles violata

Ora-

Orationis grauitate vendantur pro certis. Et quidem audiſſe memini ab Oratore fabuloſa Heroum portenta, quæ à ſoluto Poemate curioſus lector deprompſerat, pro hiſtoricis factis afferri. Antiqua plus fortaſſe authoritatis habebunt: recentiora plus gratiæ; maximè à Patriæ, vel Gentis Annalibus petita.

Tractantur Exempla, vel per congeriem, plura preſsiùs colligendo; in quibus tamen enumerandis modus adhibeatur; nec tam multa quærantur, quàm apta: vel Vnum præſtantiùs dilatatur, ac Figuris illuſtratur. Qua ratione factum dilatari, illuſtrari, ſubijcique oculis poſſit inferiùs docebo.

Quintilianus *libro* 5. *cap.* 11. Exempla cum Fabulis, ac Poeticis Narrationibus confundit. At Exempla propriè illa dicimus, quæ à veris hominum Factis deſumuntur. Idem Comparationi Fictionem ſubijcit, qua ſæpius Oratores vtuntur. Eſt autem Fictio, *Græcè Hypotheſis*, ficti Exempli ſpecies cum aliqua conditione propoſita, qua data quærimus, quid futurum eſſet, ſi rès ita ſe haberent; aut inde aliquid aliud ad rem noſtram deducimus.

Cicero *in Catilinam pr.*

Si te parentes timerent, atque odiſſent tui, neque eos vlla ratione placare poſ-

posses; vt opinor, ab eorum oculis aliquò concederes. Nunc te Patria, quæ communis est omnium nostrum parens, odit, ac metuit, & iamdiu te nihil iudicat, nisi de parricidio suo, cogitare. Huius tu, neque authoritatem verebere, neque iudicium sequere, neque vim pertimesces?

De Locis extrinsecis.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

QVæcumque Locis extrinsecis continentur, vnica possem Authoritate cum Tullio complecti. Cùm tamen in plura capita, quæ antea numerauimus, à Fabio *lib.* 5. *cap. pr.* diuidantur, singula breuissima explicatione percurram; nec enim diligentiorem à nobis curam exposcunt, ad Forenses magna ex parte Causas pertinentia, à quibus nostra hæc Eloquentia recessit.

PRÆIVDICIA sunt iudicia, seu sententiæ iam pronuntiatæ de præsenti, vel simili causa.

FAMA, seu *RVMOR, est sermo vulgatus, multitudinis consensu confirmatus.*

TORMENTA, quæ etiam *Quæstiones* dicuntur, *sunt Cruciatus, quibus* ve-

veritas extorquetur à reo.

IVSIVRANDVM est affirmatio, vel negatio alicuius rei, religioso ritu facta.

TABVLÆ sunt ad rei fidem prolata scripta, siue publica sint, siue priuata.

TESTES sunt, qui rem testimonio suo confirmant. Duplex testimonium est; Diuinum, & humanum. Diuinum, cuius est author ipse Deus, vel per se statim, vel per alios; & complectitur quæ à Religione authoritatem habent; cuiusmodi erant apud priscæ superstitionis cultores Oracula, Auspicia, Vaticinia, Sacerdotum, & Haruspicum responsa; quibus adde monstra, portenta, seruata de Cælo, somniorumque interpretationes inanissimas, immò, & Soricum occentus, quæ cæca Vetustas ridenda obseruatione consecrauit. Vide Alexandrum ab Alexandro *lib.5.cap.13.* & Plinium *lib.8. cap.57.*

Apud nos Diuini verè testimonij vim habent Sacræ Literæ, Diuinitus reuelata Mysteria, & Ecclesiæ authoritas.

Testimonium humanum dicitur, cuius author est homo. Addunt aliqui Angelicum, tanquam à duobus alijs distinctum.

Huc præterea referuntur Leges Diuinæ, & Humanæ, Sententiæ Sapientium, Prouerbia, Symbola, & quæcunque ad rem ornandam, exaggerandam,

con-

confirmandam extrinſecus aſſumuntur; quæ omnia non excogitantur à nobis, ſed aliorum doctrina, & erudita lectione quæ:untur.

Ex his omnibus Extrinſecis Locis vnicum nobis vltimum ſeruauimus, reliquis in tribunalia dimiſſis. Ab vnico tamen illo non leue ſubſidium eſt, qua uis aduentitias tantùm ſuppetias ferat; immò externa quandoq; auxilia plus roboris habent, quàm rerum intimæ vires, aut ſanè harum tenuitati ſuccurrunt. Et Maiorem quidem authoritas Orationi fidem affert, ac ornatum. Accerſenda itaque ad rem noſtram Veterum teſtimonia; atque hæc, vel ab ipſis Authorum fontibus, quod tutius eſt, haurienda, vel ab eorum Collectoribus. Adi Poliantheam nouiſſimam, Flores Poetarum, Andream Eborenſem, Apophtegmata veterum, aliaq; huiuſmodi ſententiarum promptuaria. Sed memineris non tam harum copiam, quàm delectum laudari, nec optimas eas cenſeri, quæ verbis redundant; at quæ ſenſu excellunt, ſintque magis rebus accommodatæ. In citandis Authoribus, eorumq; ſententijs, huiuſmodi formulas poteris adhibere.

Virtus Liuio teſte *matureſcit, ſeneſcentibus vitijs*. Vel: vt cum Liuio loquar, vt Liuij verbis vtar, vt eſt apud

Li-

Liuium, ex Liuio. Accedit Plinij authoritas. Non dissentit Plautus. Consonat Ouidij carmen. Subscribit, suffragatur, assentitur Plato. In eandem sententiam iuit Aristoteles. Hoc idem calculo suo Boetius confirmat. Te nunc testem voco, te appello Philosophorum antistes. Vt me terres grauitate sententiæ tuæ Gentium Doctor! Sentio me tuis vocibus excitari eximie Veritatis præco. Quis non totis artubus contremiscat ad illa Pauli fulmina veriùs, quàm verba? Doctrinæ austeritatem mellea condit sententia Bernardus. Addit rei pretium aurea sanè authoritate Chrysostomus Audio Saluiani minas. Audire videor tonantem è suggestu Saluianum. Superuacuas hominum curas ridebat Sapientissimus Regum. Indignabatur, dolebat, ferre non poterat Diogenes, *maiorem temperandis fidibus, quàm moribus componendis, operam dari*. Mirari se Socrates dicebat. Mirabatur Socrates. Socratem eos mirari solitum ferunt, *qui hominem ex lapide fingere maximo studio niterentur, at neglecto animi cultu vix differrent à lapide*.

Indiuiduam malitiæ comitem esse miseriam docuit Augustinus.

Diuitias laqueos esse Diaboli monet sapientissimus Præsul Ambrosius.

Bonorum salutem custodit (si Lactantio credis) *qui malos punit*.

Quot vitia, tot animæ tormenta inuenies. Ita grauissimè Hieronymus.

Si me non audis, audi quid sentiat dignitate, sanctitate, doctrina ter Maximus, ne dum Magnus Gregorius. *Pluit, inquit, vitium, vbi pluit aurum*.

Consule Ambrosium. Dicet &c. Quære ab Augustino. Docebit &c. Roga Hieronymum. Respondebit &c.

Hoc est quod voluebas animo seuerissime morum magister Seneca; cùm diceres: *Marcere sine aduersario virtutem*.

Semper timere malos author Plutarchus est.

O te miserum! (exclamaret Agesilaus) *qui in rebus malis tam fortis es*.

Rem acu tetigit Iuuenalis, cùm cecinit, *Probitas laudatur, & alget*.

Virtutem intra eos fines clausit Horatius. *Quos vltra, citraque nequit consistere rectum*.

Instar oraculi fuit vox ea Thaletis, cũ interrogáti, quid esset maximè difficile, *Se ipsum nosse*, respondit.

Aurum indice lapide; bonorum malorumq; mentes auro probari voluit Chilo.

Venit in mentem festiuum Petronij carmen. *Quiduis numis præsentibus opta,*
Et veniet &c.

Am-

Amplificationis Praxis.

Qua ratione rerum Copia possit à Locis oratorijs ad Amplificationem deduci.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.



VT habenti otiosa est quantumuis luculenta supellex, quæ ad nullos vsus promatur ex arca, ita nihil prodest seposita in Locis rerum copia, nisi hanc ex eorum sinu ad Amplificationem educas. Quæris quomodo id fiat? primò non nisi labore, ac studio: neque in incipientibus eam diligentiam improbauerim, quam in prouectioribus tanquam lentam, ac miseram Quintilianus damnat. *Lib.* 5. *cap.* 10., vt scilicet singillatim Locos explorent, ac velut ostiatim pulsent; non vt dicendi materiam ab omnibus extorqueant, sed à commodioribus hauriant. Cæterùm sensim exercitatio curam hanc minuit; vt denique Loci vel non quæsiti se se vltrò scribentibus offerant. At quoniam aliqua magis distincta ratio principijs tradenda est, quæ hac de re

vtiliora, obſeruatione, ac præſtantiorum Authorum lectione collegi, quàm breuiſſimè potero, exponam.

Cùm tibi propoſitum fuerit Amplificationis Thema; ſingulas illius partes expende, ac vide, quinam ſingulis Loci conueniant, ex ijs maximè, quos diximus eſſe vberiores; quanuis nullus adeò ſit infœcundus, quin aliquam interdum opem Amplificationi poſſit afferre. Si rei naturam reſpexeris, occurret Definitio, eaq; ſiue per Deſcriptionem latiùs fundetur, ſiue pluribus conglobatis Orationem augebit; ſi nomen reſpexeris. Notatio; ſi proprietates, occurrent Adiuncta. Cùm agitur de aliqua determinata rerum Specie, illam reuocabis ad Genus, vt inde vberior fluat oratio; cùm de Genere, aderunt Species, in quas diuidas; cùm de Toto, Partes; cùm de Cauſa, Effecta; cùm de Effectis, eorum Cauſas inquires. Quod ſi ſpectes rei conuenientiam cum alijs, vel differentiam vel pugnam; aderunt Similitudines, Diſſimilitudines, Comparationes. Contraria, Repugnantia. Non tamen ſemper hæc omnia in vnum conuenient, nec omnium vbique vſus erit; at ex his, quæ res feret, ſeligentur aptiora.

Hæc vbi ſelecta fuerint, parata iam

erunt

erunt ſtamina, quibus Amplificationem intexas. Quæ verò magis conueniant operi ſubtegmina Figurarum, qui colores, iudicium decernet; nec enim illarum vſus certas præceptiones habet, ſed imitatione, & exercitatione diſcitur, nec aliter oſtendi vtiliùs, quàm exemplis, poteſt. Quamobrem & quæ ſingulis Locis antè ſubiecimus, & quæ ſequuntur, obſeruabis. Vt autem videas, quanta vel ab vnico Loco in ſingulis verbis eſſe poſſit vbertas, breue hoc dictum amplificandum propono.

OMNES FELICITATEM DESIDERANT.

Examina ſingulas huius Propoſitionis particulas; inuenies vnamquanque aliquod Genus inuoluere: cum Genus (vt monui) ſit apud Rhetores quodcunque vocabulum pluribus commune. *Omnes* generale vocabulum eſt, commune pluribus, qui felicitatem exoptant. Qui nam ſunt ij? homines cuiuſcunque ætatis, & ordinis: puer, & ſenior, pauper, & diues, aulicus, miles, mercator &c. *Felicitatem* nomen eſſe vides diuerſis felicitatum ſpeciebus commune, quas homines ſibi ſtatuunt, earumque cupiditate rapiun-

tur. Huiusmodi sunt otia, commoda vires, firma valetudo, voluptates, honores, imperia &c. *Desiderant*. Hoc verbum pluribus desiderijs commune est, varijsque desiderandi modis, ardenter, assiduè, impatienter, solerter; aut si desiderium felicitatis respicias, vt Causam eorum, quæ homines agunt, ad hunc finem obtinendum, considerabis illius Effecta; cuiusmodi sunt curæ, labores, artes, studia, conatus, pericula, quæ subeunt auidi felicitatis, ad eam inquirendam, & si fieri possit, inueniendam. Iam singulas partes explicemus.

OMNES.

Vllum ne vnquam in tota hominum natione inueneris, qui non felicitatem exoptet? Omnes cupimus, quam amisimus, & in violatæ innocentiæ pœnam illius auiditate laboramus. Hanc, si liceat interpretem agere, statim inuocant primi vagitus infantium. Hanc puerorum lacrymæ, adolescentum voces, virorum querelæ, senum suspiria implorant. Hanc petunt supplicum preces, hanc pauperum gemitus rogant, hanc ambiunt vota potentum, hanc Principum conatus inquirunt. Quære, quid speret ab aratro Colonus,

nus, à malleo Faber, ab enſe Miles; quid ab æſtu fori Cauſidicus, quid Aulicus à lentæ ſeruitutis patientia, quid à turbidis commerciorum fluctibus Nundinator? vna ſpes omnium eſt, vt fortunam ſibi propitient, & ad aliquem amatæ felicitatis gradum aliquando nitantur.

FELICITATEM.

At quam (Deus immortalis!) felicitatem ſibi fingunt expetendam? caſſam, irritam, vanam. Alius felicem ſe fore putat, ſi procul negotijs leni perfruens otio vtcunque obſcuram, vtcunque ſegnem, dum placidam vitam inconcuſſa tranquillitate componat. Alius bonorum ſummam in corporis firmitate locat, vt ſit vegetum, robuſtum, Athleticum, & ægritudinis, ætatis, mortis etiam, ſi licet, minas irrideat. Hic ſi delicijs affluat, voluptatibus innatet, ſi gulam, ventrem, oculos, aures, omneſque ſenſus oblectamentis demulceat, adijſſe credet Elyſium. Ille Cræſos prædicat, & Craſſos, Midæque manus inuidet omnia vertentes in aurum. O ſi Ganges, Tagus, Pactolus, & quidquid vſquam terrarum eſt diuitis venæ deriuare poſſet in arcam! ò vt clauſum poſſide-

re se Iouem gloriaretur. Longè aliter sentiunt, quos vrget ambitus, ac dominandi libido. Horum felicitas in apice stetit, nec vlla est eorum opinione sublimior, quàm, quæ hominum capitibus imminet, penè adoranda Superbia.

DESIDERANT.

Inania quidem, fallacia, turbulenta sunt ista. Sed neminem non allicit vel imaginariæ felicitatis dulcedo. Hac vna trahuntur esca mortales: hæc votorum summa est, hæc meta consiliorum, & expetita operum merces. Quid quæso est, quod vel ardentiùs ament, vel assidua cogitatione impensiùs animo reuoluant, vel impatientiùs expectent, aut solertiùs inquirant? Quæ tanta vis eos impellit; vt durissimis artium laboribus insudent, vt prolixis literarum studijs ætatem, ac vires conterant, vt cruentam subeant Martis aleam, vt posthabitis carissimis penatibus ad ignota litora fragili rate traijciant, & Vlysseis erroribus vagi tot ausis ingentibus noua quotidie pericula perscrutentur? Quid tandem tot improbis curis vitam addicit, nisi parandæ alicuius felicitatis cupido?

Sed

Sed fortaſsè dices, non omnes tam amplas eſſe cuiuſque argumenti amplificandi partes; nec proinde tam facilè dilatari ſingulas poſſe. Ita quidem eſt: at neque ab omnibus par copia quærenda; immò ſi fortè in rem omnino ſterilem incideris, moneo, ne fruſtra litus arandum ſuſcipias; nec enim operam ludas velim, vel arte abutaris. Attamen vix vllum erit propoſitum Argumentum, cuius aliqua pars Amplificationi, non pateat, dum aliquam ſpeciem Diſtributionis ferre poſſit, quæ ad res dilatandas apprimè valet, vt nunc docebo.

De varijs Diſtributionum Speciebus, illarumque ad Amplificationem, vſu.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

DISTRIBVTIO eſt veluti quædam rerum Anatome, quæ omnes illarum articulos diſcriminat; quare ceu corpora, quæ contracta minùs apparebant, explicatis membris, quanta ſunt oſtendit. Atque, vt Sileni Alcibiadis in ſe conuoluti laruas præferebant informes, aperti Simulacra Numinum exhibebant, ita euenit, vt quod ſummatim dictum parui momenti videbatur,

per Diſtributionem euolutum, in maiorem, melioremque ſpeciem erumpat.

Tres ſunt DISTRIBVTIONIS Species, DIVISIO, PARTITIO, & ENVMERATIO. (a)

DIVISIO eſt, qua Genus aliquod in ſuas Species diuiditur.

PARTITIO eſt, qua Totum in ſuas Partes diducitur.

ENVMERATIO eſt, cum ad rem explicandam illius Cauſas, Antecedentia, Concomitantia, Conſequentia, Effecta ſingillatim numerando recenſemus.

Vbi ergo propoſitionem aliquam amplificandam ſuſceperis, obſeruabis, qua ſui parte quam ex his Diſtributionibus admittat; nam quæuis illarum copiam affert, quæ nulli promptiùs affluit, quàm qui hac arte anatomica ſcit idem in plura membra diuidere. At nemo rectè diuidendæ rei rationem inueniet, quin eiuſdem naturam perſpectam habeat. Quamobrem non ſufficit Locorum notitia, niſi etiam accedat cognitio rerum, quam vel vſu, vel ſtudio, vel ſaltem auditu, alijs tradentibus, comparabis. Interim Diſtributionis vſum exemplis diſce.

Per Diuiſionem ſententiam iſtam amplificat Seneca. *Homines vitam ſuam*

a *Carbo. de eloc. lib. 4. diſp. 6.*

ſuam prodigunt, illam prauis cupiditatibus, ac ſtudijs inanibus impendentes. His igitur in plures Species diuiſis, quod Sententiæ vnius compendio compreſſum latuerat, ita diſtributum extendit. *De Breuitate Vitæ cap. 2.*

Non accepimus breuem vitam, ſed fecimus; nec inopes eius, ſed prodigi ſumus.

Alium inſatiabilis tenet auaritia: alium in ſuperuacuis laboribus operoſa ſedulitas: alius vino madet: alius inertia torpet: alium defatigat ex alienis iudicijs ſuſpenſa ſemper ambitio, alium mercandi præceps cupiditas circa omnes terras, omnia maria ſpe lucri ducit. Quoſdam torquet cupido militiæ, nunquam non aut alienis periculis intentos, aut ſuis anxios. Sunt, quos ingratus Superiorum cultus voluntaria ſeruitute conſumat. Multos aut affectatio alienæ fortunæ, aut ſuæ odium detinuit: pleroſque nihil certum ſequentes vaga, & inconſtans, & ſibi diſplicens leuitas per noua conſilia iactauit. Quibuſdam nihil, quò curſum dirigant, placet; ſed marcentes, oſcitanteſque fata deprehendunt: adeò vt, quod apud maximum Poetarum more oraculi dictum eſt, verum eſſe non dubitem.

Exigua eſt pars vitæ, quam nos viuimus.

Aſpice illos ad quorum felicitatem concurritur : bonis ſuis effocantur . Quàm multis graues ſunt diuitiæ ? quàm multorum eloquentia quotidiano oſtentandi ingenij ſpatio ſanguinem educit ? quàm multi continuis voluptatibus pallent ? quàm multis nihil liberi relinquit circunfuſus clientum populus ? omnes denique iſtos ab infimis vſque ad ſummos pererra. Hic aduocat, hic adeſt, ille periclitatur, ille defendit, ille iudicat . Nemo ſe ſibi vindicat : alius in alium conſumitur . Interroga de iſtis , quorum nomina ediſcuntur, his illos dignoſci videbis notis . Hic illius cultor eſt , ille illius, ſuus nemo .

Vitam vnuſquiſque quàm multis diſtribuit .

Hinc ſententiam eandem Partitione dilatat, reuocando ad calculos exactæ vitæ partes , & Enumeratione Antecedentium , quibus abſumpta eſt longæui etiam hominis vita ; vt proinde immaturus mori dici poſſit. *Ibidem cap. 3.*

Licet itaque ex ſeniorum turba comprehendere aliquem . Preueniſſe te ad vltimum ætatis humanæ videmus; centeſimus tibi , vel ſupra ; premitur an-

nus ;

nus: agendum ad computationem ætatem tuam reuoca. Dic quantum ex isto tempore Creditor, quantum Amica, quantum Reus, quantum Cliens abstulerit: quantum lis vxoria, quantum seruorum coercitio, quantum officiosa per vrbem discursatio. Adijce morbos, quos manus fecimus: adijce quod & sine vsu iacuit: videbis te pauciores annos habere, quàm numeras. Repete memoria tecum, quando certus consilij fueris, quotusquisque dies, vt destinaueras, recesserit, qui tibi vsus tui fuerit, quando in statu suo vultus, quando animus intrepidus; quid tibi in tam longo æuo facti operis sit; quàm multi vitam tuam diripuerint, te non sentiente, quid perderes; quantum vanus dolor, stulta lætitia, auida cupiditas, blanda conuersatio abstulerit; quàm exiguum tibi de tuo relictum sit: intelliges te immaturum mori.

Ad vberiorem verò Propositionis Amplificationem iuuabit plures in ea Distributiones inuenire; vel vnius Distributionis membra Distributionibus alijs dilatare. Do exemplum. Amplificanda sit hæc Propositio. *Quodlibet Elementum gulæ importunitas vexat.* Primò Diuisione vteris, *Elementum* in Terram, Aquam, Aerem, Ignem di-

diuidendo. Hinc per Partitionem *Terram* in Campos, Vineas, Syluas diduces; *Aquam* in Maria, Lacus, Flumina, per quæ gula bacchatur; *Aerem* in varias regiones; *Ignem* in officinas, pluraque ministeria distribues, quibus cogitur gulæ seruire. Tum per enumerationem recensebis Adiuncta modi, quibus gula singula vexat Elementa: *Terram* frugum, fructuum, ac animantium populatione, *Aerem* tot excogitatis ad stragem Auium insidijs, *Aquam* tot piscationum generibus, *Ignem* tam varijs vsibus, quibus illum diu, noctuque exercet ad suas cupiditates explendas. Ex quibus omnibus en quàm ampla confici Amplificatio possit.

QVODLIBET ELEMENTVM GVLÆ IMPORTVNITAS VEXAT.

1. *TERRAM.*

Quænam impotentior Tyrannis; quàm quæ vniuersum rerum naturam immanissimis exactionibus insatiata perturbat? Cernis lacerum terræ sinum, quem assiduè dura cultorum manus vomeribus discindit, bipalijs euiscerat,

rat, ligonibus fodit, irpicibus carminat? Quorſum tam operoſam, & nunquam intermiſſa laniena, niſi vt alendæ non ſolùm, ſed explendæ gulæ fœcunditatem extorqueat? At quæ tanta vbertas intemperantiæ ſatis eſſe videatur, quæ, niſi lautiſſimè luxuriet, annonæ charitate laborat? Parum eſt quidquid metit ex aruo feracior Æſtas, quidquid ex vineris legit felicior Autumnus, quidquid ex pomarijs, & hortis diues annus largitur. Quantunuis affluentiſſimo rerum prouentu, & horrea, & cellaria redundent, vix plebeæ fami tanta copia ſufficiet. Superbiùs adhuc, & crudeliùs eſurit profuſa ingluuies, cui deſipiunt hæc vulgaria terræ munera, niſi cæterarum animantium cladibus opſonetur. Non ſatis itaque frugibus, ac vino colitur Deus Venter; maioribus victimis placandus eſt. Ad profanas huius aras armenta rapiuntur, & greges; quin exhauſtis iam, aut vileſcentibus bubili, & caula, ſylua tentatur; vt præter minora illa Numina Bacchum, Cererem, Pomonam, Palem, familiares videlicet vernulas, pharetrata quoque Diana gulæ præſtet obſequium. Quis numeret vel inſtructas Venatorum phalanges, vel coactos ad claſſicum Vertagorum manipulos, vel tot venabula, plagas, tela,

tor-

tormenta; vt minori apparatu bella tractentur? Quis miserandas recenseat imbellium bestiolarum strages, quibus illarum penè species luxus humani furor extinxit? quis quæsitas non horreat per vulnera, & mortes hominum, feras, ac metuenda sæpius hostibus pectora vnius apri dente discissa? Sed tanti est parare gulæ delicias, & periculo capitis indagare, quod sapiat palato. Quin etiam belluarum spolia pro clarissimis trophæis habentur, præfixique foribus rictus, & adhuc metuendæ vnguium minæ, & identidem ostentata in vestibus pellium gestamina; vt, si redeat monstrorum domitor Alcides, iam videat gregariam esse hanc laudem. Quid profuit naturæ alias armasse terroribus feras, quasdam defendisse latibulis, alijs velocitate, alijs astu consuluisse, omnes remouisse ab hominum conspectu, nemorum vmbris, asperis cautibus, anfractibus, antris, foueisque protectas? Nihil inausum gulæ, nihil imperuium; quin auidiùs appetit prædam, quæ ardua magis indagine commendatur, ipsaque censetur difficultate sapidior.

2. *AQVAM.*

Per Apoſtrophem ad gulam.

Iam per omnes bacchata es terrarum angulos improba gula. Pone hic tuis cupiditatibus modum, teque tuis finibus coerce. Terræ liquidum ſuccedit Elementum, cuius inquilinum eſſe noluit hominem, qui hunc eduxit ex humo. O fruſtra præſcriptum rebus terminum, ò violata iura, limiteſque confuſos! è natali ſolo Tyrannidem tuam transfers in aquas, & Quadrupedum adipe ſaginata nunc alias expiſcaris à Natantium ſedibus voluptates. Hic ſanè feraciſſimum inueniſti genus, in quod abundè ſæuires. Nec enim vna ſæuiendi ratio eſt. Hos vnco trahis, illos miſſili fuſcina tranſuerberas, hos irretis, illos illaqueas, quoſdam venenas, alios hamis, naſſis, tragulis, euerriculis deprehendis incautos. Qui tam rapidi torrentes, quæ tam profunda flumina, qui ſinuoſi lacus, quæ ſtagna, quæ paludes, quæ maria, qui ſcopuli naufragijs infames, quæ tam remota litora, quæ non adeas, à quibus non repetas epulas vectigales?

3. AEREM.

Hæc olim ſpectabat propè ſublimitate ſua ſecurus Aer; & imæ quidem regionis partem, finitimam terris, vltrò gulæ conceſſerat. Quid ni enim domeſticas arriperet chortis alites, & quas apud ſe natas in caueis, gallinarijs, columbarijs altiles ad menſarum lautitiem ſeruaret; vt demum fraudata hoſpitij fide crudelem repeteret pro alimentis vſuram? Quid autem iuris haberet, ſiue quid poſſet in peregrinas aues, à communibus hominum tectis longè remotas, quæ Cœlo liberiore fruuntur? Vtcunque ingenioſa ſit gula, nondum alas inuenit. Audite plusquam Dædaleas artes. Cùm volatilis fieri non poſſet hæc Harpia, quò non poterat vnguibus, peruenit inuentis, & pennas fraude ſuppleuit. Simpliciores auiculas ad pabulum volitantes eſcarum illicio in decipula traxit: callidiores quaſdam ſibilo, natiuum earum idioma imitante, feſellit: captiuas alias ſolicitauit ad cantum, vt nota voce gentiles accirent, quæ triſtes querelas pro inuitamentis habentes in eiuſdem laberentur captiuitatis conſortium. Taceo noctuarum mimos, & immiſſas nidis muſtellas, & eruditos

tos ad prædam accipitres. Illitas tenacissimo glutine virgas, crepitacula, terricula, pedicas, laqueos, milleque retium genera referre si velim, me vox priùs defficiet, ac dies. Vbinam verò vobis erit certa securitas miserrimæ volucres, cùm vestros etiam volatus vibratæ balistis, fistulisque mortes abrumpant? Nusquam tutum animantibus asylum esse patitur gula, quarum se pascit excidijs, *& gustus elementa per omnia quærit. Iuuen. sat.* 11.

4. *IGNEM.*

Idem per Prosopopœiam loquens inducitur.

An etiam ab Igne quæret? nemo sanè quidquam eripuit nihil habenti. Quod vnquam tributum à sterilissimo extorquebit Elemento? Hoc vnum superest, vt Salamandras etiam esuriat, vel adipem exigat à Pyraustis. Ita mecum iocabar, hic saltem arbitratus elusæ voracitati posse me tandem insultare; cùm mihi sum visus Ignem ipsum audire stridentibus flammis in hos fermè questus erumpentem. O te nulli parcentem naturæ importunissimam gulam! O inexplebilem auiditatem, cui vni saturandæ cuncta

la-

laborant Elementa! Cùm nihil à me succi, nihil saporis elicere posses, operam tibi meam mancipasti, tuarum libidinum ministram. Ignis ille, purus, nitidusq; lucis germanus, qui Cælo acceptam refert originem; fortissimus ille rerum domitor, & scitissimus artifex; ille ingenuus Heros, nulli claritate secundus, cui finitimum astris, debetur natale solium, tam indigno famulatui damnatur, vt diu, noctuque saginando ventri deseruiat? Neque munera illa detrecto, vt quidquid in me virtutis est, non fouendæ solum humanæ vitæ, sed etiam alendæ lubens impendam. Sed quandiu torqueor, vt sordidissimis cupiditatibus indulgeam? Hoc ne igitur præclarum est, vt qui thura superis adoleo, quotidie gulam ganearum nidore propitiem, & dignas altaribus flammas condiendis illi victimis exerceam? Hoc ne præclarum, vt acriùs in popinis, quàm in artium officinis desudem; & cùm animandis præstem ad mansuram gloriam metallis, calorem potiùs ebullientibus ahenis vilissimus lixa sufficiam? Video ante me positas, cæsarum animantium aceruis, non sine stomacho Larium, onustas, fluentesque mensas, quæ carnificinam vix deceant. Olida circunstat ministrorum turba, nescio an haruspi-

ces, an pollinctores vocem, euiscerandis cadaueribus intentos. Nec ijs condiendis exotica desunt aromata (nam & Indus, & Arabs gulæ vectigal persoluunt) vt splendido funeri pyram adornari putes, vel apotheosim parari. Terrestria, aquatilia, volatilia nunc elixare iubeor, nunc assare. Hæc feruens liquato adipe sartago frigit: illa versatili transfixa veru subiecta pruna torrentur: alia minutatim concisa, varioque mersa intinctu sensim in alium saporem tepente fauilla soluuntur: quædam lectioribus medicamentis imbuta clibanis, ollulisq; ad multam noctem coquenda traduntur. Fastidiente siquidem stomacho ciborum argutias excogitauit ars edendi, farta, intrita, embammata, iuscula, pulpamenta, dignaque Deorum Symposijs fercula; quorum sapidissimis commentationibus Cupedinarij, Structores, Crustularij, Coqui non segniter ingenium, operamque impendunt. His lucubrandis persæpe vigilant vltra Cleanthem Apicij, meque diligentiùs in foculo seruant, quam Vestæ Sacerdos in ara. Mitto me crapulæ laternarium addici, & inter pernoctantes parasitos inuitas in triclinijs excubias agere, auersante plerunque luce dignissimas tenebris cœnas. Ita si rem exigas ad cal-

calculos, minus mihi negotij facessit Vulcani labor, quàm cura luxuriæ, Disperam (vt mihi pessimè precer) nisi malim insanienti Chymiæ seruire. Ite nunc auidissimi heluones, meque voracitatis accusate. Quid gula vestra voracius, quæ vt satiet ingluuiem suam, aut exhaurit, aut lassat, omnia certè vexat Elementa?

Prolixius exemplum dedi, vt omnes illas Distributionis species vna videres Amplificatione collectas. Et multò vtique vberius fundi hæc poterat, si libuisset ferarum, piscium, volucrumq; species distinguere; hinc immorari describendis venationibus, aucupijs, piscationibus &c. at quorsum hæc omnia, aut quandonam finis? Immò id maximè seruandum, vt quæ amplificanda sunt, diuidantur quidem, non conterantur, nec eorum Distributio ad infima quæque, ac minuta descendat. Nec adeò affectanda copia, vt redundet, cùm & virtus, vbi modus defuerit, etiam bonorum excessu dilabatur in vitium.

Præter ea, quæ sunt in re, vel circa ipsam, illa etiam, quæ rei desunt, quandoq; proderit obseruare: horum enim Distributione facilè fiet Amplificatio per negationem. Sic illud Tragici *Pe-*

ctora

Pectora pauper secura gerit facillimè dilatabis enumerando, & negando de paupere fortunæ bona, quibus caret, & animi mala, quibus minimè cruciatur Sic.

PECTORA PAVPER SECVRA GERIT.

Pauper es? gratias age fortunæ, quæ nulli ferè minùs timenda est, quàm cui minus benefica. Exiguis natum penatibus hominem non circunfluit rerum vbertas; at neque premit moles curarum. Non latè possidet; at neque angitur iacturæ formidine. Non illum eximit vulgo splendidum patrimonium; sed non torquet *misera magni custodia sensus*. (a) Arca vacat argento? Non cruciat animum suspecta rapacitas. Auro non splendent laquearia? humili tecto non timet inuidiam. Non tegitur ostro, neque mollibus cubat in plumis? viliùs dormientis quietem turbidis cogitationibus non interpellat ambitio. Gemma non bibit? sincera paupertatis pocula prægustatore non egent. Ille non agris hostes, non mercibus naufragia, non hæreditatibus lites, non dignitatibus æmulos, non vitæ imminentem diuitum capiti-bus

a *Iuuenalis sat.* 14.

bus maiorum potentiam reformidat; & qui iacet in imo, de nullo casu sollicitus, hanc habet in sua calamitate securitatem, quòd nihil videt inferiùs, quò cadat.

Amplificatio sententiæ per argumenta, seu rationes.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

PRæstantissimus dilatandæ sententiæ modus est, vt plures inueniantur ad eam probandam rationes: ijsdem enim quibus vtimur ad probandum, vtimur ad amplificandum, immò nulla rerum Amplificatio est, quæ aliquibus non innitatur argumentis; atque hæc ab ipsis Locis eruuntur. Propono tibi ex. gr. dilatandam hanc è Seneca sententiam.

Ira vitium est, maximè ex omnibus tetrum, ac rabidum. (a)

Quære rationes, seu causas, cur hoc vitium sit omnium teterrimum. Prima ratio ducetur ab Iræ Definitione, quæ breuis furor est; quod confirmabitur comparatione furentis, & irati, quorum eadem species est, idem habitus; idque Descriptione vtriusque illustrabitur. Secunda ratio desumetur à Com-

a *Lib. 1.*

à Comparatione Iræ cum alijs vitijs, quia tegi cætera faciliùs possunt; ira verò, vt præceps affectus, furiosiùs erumpit, seque ipso aspectu, & corporis deformatione profitetur; qualem in brutis etiam animantibus videmus. Tertia ratio succedet ab Effectis Iræ desumpta; hæc enim tot hominum cædes, tot Vrbium, ac Prouinciarum peperit excidia. His rationibus ita sententiam idem Seneca dilatat, ac probat.

IRA VITIORVM OMNIVM TETERRIMVM.

Prima ratio à Definitione, seu Descriptione Iræ.

Cæteris affectibus aliquid quieti, placidique inest; hic totus concitatus, & in impetu doloris est, armorum, sanguinis, suppliciorum minimè humana feruens cupiditate: dum alteri noceat, sui negligens, in ipsa irruens tela, & vltionis secum multa tracturæ auidus. Quidam itaque è sapientibus viris iram dixerunt breuem insaniam; æquè enim impotens sui est, decoris oblita, necessitudinum immemor, in quod cœpit pertinax, & intenta; rationi, consilijsque præclusa, vanis agi-

tata caufis, ad difpectum æqui, veriquè inhabilis; ruinis fimillima, quæ fuper id, quod oppreffere, franguntur.

Confirmatio rationis à Comparatione furentium, & irafcentium, per eorundem Defcriptionem.

Vt autem fcias non effe fanos, quos ira poffedit, ipfum illorum habitum intuere. Nam vt furentium certa indicia funt, audax, & minax vultus, triftis frons, torua facies, citatus gradus, inquietæ manus, color verfus, crebra, & vehementiùs acta fufpiria: ita irafcentium eadem figna funt. Flagrant, & micant oculi; multus ore toto rubor, exæftuante ab imis præcordijs fanguine; labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent, ac fubriguntur capilli, fpiritus coactus, ac ftridens, articulorum fe ipfos torquentium fonus, gemitus, mugitufque, & parum explanatis vocibus fermo præruptus, & complofæ fæpius manus, & pulfata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnafque minas agens, fœda vifu, & horrenda facies deprauantium fe, atque intumefcentium. Nefcias, vtrum magis deteftabile vitium fit, an deforme.



Se

Secunda ratio à Comparatione Iræ, qua bruta etiam, ne dum homines, exasperat, cum alijs vitijs, quorum mitior impetus est.

Cætera licet abscondere, & in abdito alere: Ira se profert, & in faciem exit; quantòque maior est, hoc efferuescit manifestiûs. Non vides, vt omnium animalium, simul ac ad nocendum insurrexerunt, procurrant notæ, ac tota corpora solitum, quietumque egrediantur habitum, & feritatem suam exasperent? Spumant apris ora, dentes acuuntur attritu: taurorum cornua iactantur in vacuum, & arena pulsu pedum spargitur: leones fremunt: inflantur iratis colla serpentibus: rabidarum canum tristior aspectus est. Nullum est animal, tam horrendum, tanquam perniciosum natura, vt non appareat in illo, vbi ira inuasit, noua feritatis accessio. Nec ignoro cæteros quoque affectus vix occultari; libidinem, metumque, & audaciam dare sui signa, & posse prænosci: neque enim vlla vehementior intra cogitatio est, quæ nihil moueat in vultu. Quid ergo interest? quòd alij affectus apparent, hic eminet.

Tertia ratio ab effectis Iræ.

(a) Iam verò, si effectus, damnaque intueri velis, nulla pestis humano generi pluris stetit. Videbis cædes, ac venena, & reorum mutuas sordes, & vrbium clades, & totarum exitia gentium, & Principum sub ciuili hasta capita venalia, & subiectas tectis faces, nec intra mœnia coercitos ignes, sed ingentia spatia regionum hostili flamma relucentia. Aspice nobilissimarum ciuitatum fundamenta vix notabilia: has ira deiecit. Aspice solitudines per multa millia sine habitatione desertas: has ira exhausit. Aspice tot memoriæ proditos duces mali exempla fati. Alium ira in cubili suo confodit; alium inter sacra mensæ ira percussit; alium inter leges, celebrisque spectaculum fori lancinauit; alium filij parricidio dare sanguinem iussit; alium seruili manu regale aperire iugulum; alium in cruces membra diuidere &c.



a *Ibidem cap.* 2.

Amplificatio Facti.

CAPVT DECIMVMNONVM.

AD factum amplificandum spectanda erunt Præcedentia, Concomitantia, Subsequentia: paucis, Adiuncta omnia, quæ trito carmine celebrantur, *Quis*, *Quid*, *Vbi &c.* ex his enim omnis ferè dilatatio, & exornatio Facti desumitur. Vnicum affero exemplum, alibi plura daturus, cùm de Factis narrandis, ac describendis agemus.

Exaggerandum, & exprobandum sumamus illud Leonis Quarti Byzantij Imperatoris facinus; cum gemmatam Coronam, quam Mauritius olim Augustus Diuæ Sophiæ dicarat, ex huius Templo ereptam capiti suo imposuit. Quanuis non impunè; postmodum enim superbum, scelestumque caput erumpens carbunculus digna morte multauit. Acri Apostrophe ad ipsum Leonem vtemur, singula Adiuncta percurrendo.

QVIS.

Tu ne Cæsar, tu Orientis Imperator, tu, cuius nutu, & exemplo tot Prouin-

ciæ pendent, ac Regna; cuius eſt Religionis venerationem aſſerere, iura tueri, ſcelera profligare; tu inquam in auguſtiſſimi ſolij faſtigio collocatus, vt quantùm gradu, tantùndem virtute cæteris antecellas, Imperatoriam maieſtatem ſacrilego latrocinio dehoneſtas?

QVID.

Coronam Cælite dignam obtulerat Sophiæ Mauritius, qualem Sanctiſſimæ huius Vrbis tutelæ deberi cenſuerat, auro gemmis, materia, & arte ſpectandam, cuius pretium, & opus deceret Cæſaris obſequium, nec illius meritum dedeceret, quæ ſiderum ſtemmate coronatur. Æmuli profectò ſideribus lapilli ſic aureo micabant in orbe, vt hebeſceret auri fulgor, & præſtantius alioqui metallum iam ſolius opificij commendatione placeret. Hoc inſigne pietatis donarium tu latro purpuratus inuadis, & Cæſareæ olim munificentiæ monumentum arripis ad argumentum ſacrilegij.

VBI.

Neque verò in alicuius ignobilis pagi receſſu; ſed in Vrbis Regiæ meditul-

tullio, non in priuati lararij latebris; at in primario, celebrique templo facinus admissum. Hoc tu sanctitatis domicilium impia profanas auaritia, & vbi frequentissimi Ciues propitiando Numini student, hìc tu Cœlum iniuria lacessis; hìc aram illam, supplicum perfugium, rapina violas, publicæque venerationis contemptor, nil Dei, nil Diuæ oculos veritus, velut inspectantibus insultes, audacissimus verè Leo rapaces vngues extendis ad prædam.

QVIBVS AVXILIIS.

Quos tu habuisti tanti sceleris adiutores, ac Ministros? An tu secretum aliquem expilatorem subornasti, qui execrandæ auiditati seruiret? Vt nemo nesciret authorem latrocinij Principem esse, tu cum armata satellitum cohorte velut in hosticum vallum irrupisti, vt gloriosum videlicet inde spolium referres. O præclarum facinus, & Cæsare dignum, quod vniuersa posteritas admiretur! Hoc tu sicariorum præsidio stipatus in commune scilicet armatus odium Tyrannus, accessisti ad aras, & nefario improborum hominum ministerio eximium illud sacræ supellectilis ornamentum abstulisti.

CVR.

Nunc abs te quæro, laureate prædonum antesignane, cur venerabile sertum impijs manibus attrectes? Quem tu destinaras ad vsum, cùm te rapiendi cupido incessit? Cognoscite furentem hominis insaniam. Detraxit Sophiæ coronam, futurum se ratus humano fastigio maiorem, vbi scelestissimum caput furto radiaret. Miror non statim exarsisse in fulmina gemmarum ignes, & iam sceleris horrore pallescens aurum non se protinus in vindicem laqueum intorsisse, ad noxiæ ceruicis exitium. Quænam immanior audacia, quàm spoliare Sanctitatem, vt vestias fastum? Deprædari Superum manubias, vt inde, quasi re bene gesta, triumphantis raptoris tempora coronentur?

QVOMODO.

Qua exultatione, quo tripudio illum egisti coronatæ nequitiæ triumphum! Plaudere ipse tibi, tuorumque plausus captare, arridere, gestire, teque palam præbere spectandum, vsurpato diademate coruscantem; & quasi noua dignitatis accessione, hoc latroci-

nij

nij fructu, atque ignominiæ nota superbire. Audio præterea, & credo (noui enim quàm sis pius in Superos, & acutus) ausum te in Sophiam argutari: dixisse quippe aut Cæsari, aut nulli deberi Sapientiæ coronam: sacrum illud gestamen omnino Imperatoriæ dignitati conuenire: nusquam decentiùs flagrare carbunculos, quàm in capite purpurato. O te miserum, qui dum exultas pretiosiore flagitio, gemma designas incautus tuæ calamitatis præsagium. Interim tamen frueris nocituro thesauro, tuæque testimonium impietatis, futurum subinde supplicium, impudentissimè circunfers ad pompam. An tu subactis Barbaris, profligatis hostibus Imperij, parta trophæa tanta celebritate iactasses, quanta raptam à sacrario prædam ostentasti?

QVANDO.

Qui non prorsus amisere mentem, aut non affatim peccandi pudorem exuere, tenebras amant, petunt ab vmbris velamina sceleri, noctem, silentium, secretum inquirunt. Tu verò securior impunitate potentiæ, qui neque conscientiam vereris, neque famam, clarissimam diem ad facinus

elegisti. Cùm amplissima in Vrbe compita, fora, viæque omnes densissima euntium, & redeuntium frequentia feruent, cùm turmatim populus ad spectacula confluit, cùm pij cultores adeunt Sophiam suam, tunc illam violenter aggrederis; tunc recens Dionysius, Religionis irrisor, adimis Diuæ Coronam, tunc, auersantibus impium nefas innumeris testibus, deuota Diris tempora præcingis. Quid hoc aliud est, quàm gloriam improbitate aucupari? Si vel te Iudice furta plectuntur, quid huius rapinæ impudentia non mereat?

Amplificatio Laudis, & Vituperationis.

CAPVT VIGESIMVM.

EX iisdem fontibus, è quibus reliquæ Amplificationes, Laus etiam, & Vituperatio dimanant. Et omnes quidem Loci vtrique materiam præbent; frequentiùs tamen Definitiones conglobatæ, Enumerationes partium, Causæ, Effecta, Comparationes, Contraria; sed præ cæteris Adiuncta Rerum, & Personarum; hæc enim plerùnque tam in Laudationibus, quàm in Vituperationibus vtranque paginam faciunt.

Aphto-

Aphtonius in Progymnaſmatis cap. 8. quandam texendæ Laudationis formam præſcribit in ſpeciem Oratiunculæ, quam Encomium vocat. Nos verò de Oratione Panegyrica, quæ Rhetorum eſt, in ſecunda parte agemus. Interim contenti erimus huiuſmodi laudatiunculis, quæ tanquam Orationis partes, à toto corpore ſeiunctæ, inter hæc Præludia exercendo ſtylo adhibentur. Alij diſtinctas, valdeque diffuſas cuiuſque rei laudandæ præceptiones tradidere: ſed propoſita breuitas me non patitur in tam ampla ſpatia vagari. Quanquam ſi diligenter excuſſeris, quæ his de rebus Aphtonius, alijque complures congeſſere, illaque omnia ad ſumma capita reuocaueris, paucis illis contineri deprehendes, quæ ſtatim præmiſi, vnde Laudum, ac Vituperationum copia depromitur. Vide in Epitome Artis Rhetoricæ caput 19. de Genere Demonſtratiuo.

Hoc in Laude ſeruandum, ne immerenti, vel ſupra meritum impendatur; niſi fortè ad ingenij ludum, vel pompam abuti Encomio libuerit: nam & Phauorinus febrim laudauit, ſanus videlicet, ſi bene ſanus; & eximiè Lucianus extulit muſcam: dignus vtique illius Encomia-

ſtes ipſe muſca procacior.

Ex his infimis audet etiam laudatrix Eloquentia ſe ſupra mortalium, immò & creatarum rerum ordinem attollere, Deum ipſum laudando, cui quantuis debeantur omnium linguarum obſequia, nihil tantæ par Maieſtati moliri poteſt facundiæ noſtræ tenuitas. Immenſa profectò illius attributa vberrimam laudum materiam ſuggerunt; veluti ſumma perfectio, bonitas, ſapientia, potentia, prouidentia: tum miranda illius opera, rerum omnium creatio, & conſeruatio, ac reparatio generis humani. A notis præterea ſpeciebus, tanquam vmbris illius lucem longè metiri conamur, confugiendo ad nobiliores Similitudines, atque illi quidquid cognoſcimus illuſtrius, & auguſtius adſcribendo: ſic illum Soli, Animæ, Oculo, Regi comparamus. At potiùs laudare illum poſſumus per negationem, vt monui cap. 3. de Definitione.

Hinc Arnobius eundem commendare aggreſſus ita per Apoſtrophen alloquitur. *Lib. pr. aduerſus Gentes.*

Prima tu cauſa es, locus rerum, ac ſpatium, fundamentum cunctorum, quæcunque ſunt; infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, ſolus; quem nulla delineat forma corporalis; nulla de-

determinat circunſcriptio, qualitatis expers, ac quantitatis; ſine ſitu, motu, & habitu; de quo nihil dici poteſt, & exprimi mortalium ſignificatione verborum; qui vt intelligaris, tacendum eſt; atque vt per vmbram te poſſit errans inueſtigare ſuſpicio, nihil eſt omnino mutiendum.

Proximas quoque Deo mentes, Angelos inquam laudamus à puriſſima eorum ſubſtantia, ab eximijs naturæ dotibus, & gratiæ donis, quibus eos diuina munificentia cumulauit; hinc à præclariſſimis muneribus, quibus funguntur Cæleſtis aulæ miniſtri. Sæpe ad eorum laudes vtimur negatione, de illis negando noſtræ mortalitatis mala. Ex his fermè capitibus corpore ſolutas, beataſque animas commendamus.

Frequentiùs tamen Laudatio circa homines verſatur, quorum ſunt virtutes, & bene geſta, veræ argumenta Laudis. In his ea ſpectanda, quæ dicuntur Adiuncta Fortunæ, Corporis, & Animi; tum rectè facta, ex quibus omnibus colligitur Laudum ſeges.

Succedunt Virtutum, Artium, Scientiarumque commendationes, ab ijſdem Locis, quos primò recenſui, deductæ. Hinc Tullius Dialecticam laudat in Bruto, Philoſophiam moralem lib. p. Tuſc. Quæſt., Iuſtitiam lib. 2. officio-

rum,

rum, Eloquentiam lib. p., & 2. de Oratore, & alibi. Exempla superiùs habes cap. 13. de Effectis.

Sed neque bruta commendationibus carent, & res inanimatæ, vt Simulacra, Ædificia, Montes, Vrbes, Regiones, de quibus plura in Descriptionibus afferemus; nam vnde horum Descriptiones, illinc etiam Laudationes educuntur.

Vituperationis eadem ratio, ac Laudis est; nisi quòd illa in vitia potiùs verti debet, quàm in Personas. Vtriusque dabo exemplum; nec multa subijciam, cùm frequentissima hæc sint in paginis Oratorum, Historicorum, ac Poetarum.

Personæ Laudatio præcedat, cuius argumentum hoc erit. D. Victoria illustris in Africa Fœmina, ab Hunerico Arrianorum Rege variè vexata, vt à Catholica Religione deficeret, non promissis, non minis, non cruciatibus, non igne, non Coniugis desertoris exemplo, & precibus, non filiorum lacrymis potuit à fidei firmitate deflecti. (a)

Ad commendandam Sacræ huius Heroinæ constantiam, Laudum capita desumentur à Notatione Nominis, ab Adiunctis Personarum, & à Relatis.

Diua

a Ex *Annal. Baronij ann. Christi* 484.

Diua quippe Victoria suo se dignissimam nomine præstitit, quæ fœmina sexu imbecillis, educatione delicata, in potentem, barbarumque Tyrannum, blandientem, sæuientem, inuicta pugnauit: pœnis omnibus fortior extremi vicit atrocitatem supplicij. Deniq; Vxor, Viri, Mater Filiorum amorem, constantissimè vicit.

D. VICTORIÆ MARTYRIS LAVDATIO.

Huc palmas, huc lauros, huc illustriora emeritarum frontium ornamenta conferte: plenis date lilia manibus, festiuisque plausibus acclamate. Celebranda Victoria est, non vno titulo victrix, quæ fidem nomini fecit inuicta, & ostendit vinci non posse Victoriam. O quot vna triumphales meretur adoreas, quæ vicit sexum virtute, constantia Tyrannum, tolerantia pœnas, Religione naturam!

Neque hæc ad gelidum Tanaim ingenitam hauserat à Patrij Cœli rigore ferociam. Amazonem istam Africa dedit, non Scythia. Neque fortuna deterior sensus patientiam malorum vsu durauerat: quin clarissimis edita natalibus, liberali educata lautitie, vita delicatiore adoleuerat, & splendore

flore generis, rerum copia, coniugij, sobolisque gloria florebat.

Hanc igitur nobilem, delicatam, hanc fœminam, vtcunque generosæ indolis, magnique animi, denique fœminam, aggreditur Hunericus; Tyrannus ille genio truculentus, impietate ferox, potentia immanis, Regno superbus; vt à Religionis integritate deterreat. Quanta primùm simulatione humanitatis, quot lenocinijs verborum, quantis Regiæ munificentiæ promissis inuitat? Fraudulenti hostis vincit artes Victoria. Quæ deinde toruitas oris, quæ supercilij grauitas, quæ vocum tonitrua, quæ fulgura minarum? Tyrannicæ indignationis horrores vincit Victoria. Quàm dira tandem cruciatuum supellex depromitur, quàm atrox carnificum manus adoritur insontem? Lictorum sæuitiem, pœnarum acerbitatem vincit Victoria.

Pendet publicæ spectaculum miserationis, ludibrium tortorum, victima crudelitatis, & subiectis ignibus torretur. Iam diffluunt artus, iam sæuit ardor in viscera, & propè vitæ fontes absorbet. Illa mori parata, sed vincere, suos vsque dolores fatigat, æstuque altiore incalescens vincit elementi violentiam.

Quid nunc ages Victoria, quid ages? Vtcunque hactenus viceris hostilis odij vires, an ita vinces dulcissimos impetus amoris? Heu grauior, quò humanior pugna! Ecce amantissimus Coniux te per mutuam fidem, per sacra thalami fœdera, per affinitatis charitatem, enixè rogat, vt parcas tibi, parcas generi; neque in tuum, tuorumque exitium implacabilem Tyrannidis iram importunè lacessas. Quod si non satis est, efficacissimo suadet argumento, exemplo inquam suo, non esse cum Regia barbarie certandum; præstareque sponte vinci, quàm violenter perire. At perstas adhuc, eaque firmiùs inhæret animo sententia, vt Viro fortior cadere malis, quàm cedere? Si non meministi te Coniugem, memineris Matrem. Semiustalata, semiuiua, mæstissimos, vdosque fletibus laniena tuæ spectatores filios tu siccis oculis intueris? Hos tu contumaci agone sensim exanimas? Hos tu pateris commori tecum, vel nisi vitam, & angores vna morte corripiant, superesse diuturni luctus, prolixæ calamitatis hæredes? Nil te pallentia mouent innocentium ora, nil Matrem inclamantium voces, nil validiores vocibus lacrymæ, quæ miserandam natorum orbitatem facundissimè deprecantur? O

for-

fortiorem quouis conflictu Victoriam! Magnum est fœmineam vicisse infirmitatem, magnum vicisse blanda, maius aspera, maximum vicisse te ipsam, lentasque mortes attonita immanitate superasse. Quæ verò adamantini pectoris fortitudo vincere potuit inditam cordi humanitatem, atque in vim Sanguinis, in suauissima Coniugij, prolisque nomina, intus animo luctante, ita certare, vt sanctitas integra triumpharet? Hæc summa vtique victoria est, maternam pietatem Christiana pietate vicisse.

Diffusa Personarum Encomia suggerent sacri, & profani Authores, qui vel panegyricas Orationes, vel illustrium Virorum, ac Fœminarum vitas, & facta scripsere.

Superest Vituperationis exemplum, quæ, vt monui, damnandis vitijs, non carpendis hominibus adhibenda est. Nunc itaq; stylum acuemus in Aleam, Vituperationem texentes à Definitionibus conglobatis, à Comparatione cum alijs Ludis, & ab Effectis. Accedet, ad subijcienda oculis illius damna, Ludi, & ludentium aleis Descriptio. Tandem graui Apostrophe Aleatorem vrgentes, illum conabimur ad meliorem frugem reuocare.

ALEÆ

ALEÆ VITVPERATIO.

Abutitur sanè vocabulo quisquis Aleam, rerum, & morum perniciem blandiori ludi nomine non tàm honestat, quàm velat. An ergo numerabimus in ludis fraudum officinam, flagitiorum magisterium, Dirarum scholam, dissidiorum seminarium, fortunarum voraginem, familiarum exitium? Ita hostiles etiam direptiones, & incendia, & naufragia licuerit in posterum ludos appellare. Profectò non aliter alea ludit, quam Arena, quæ gladiatores instruit ad mutuam cladem, vt alter in postremum alterius discrimen funesta voluptate decertet.

Ludos eos voco, quos ad innocens, honestumque oblectamentum indulgentia maiorum inuenit, nunquam à Virtute alienos: quorum alij membrorum agilitatem exercent, alij solertiam acuunt, nec fortunæ debent, sed ingenio victoriam, alij, ceu blanda quædam artium rudimenta, ludicra imagine ad seria mentem erudiunt; omnes firmandis corporibus animisque leuandis perutiles, ac viribus ad grauiora capessenda suauiter instaurandis; neque captioso alienæ rei aucupio, sed ingenua iucunditate fruuntur.

His

His tu ludis Aleam inferes, quæ incerti quæstus illicio auida solicitat ludentium vota; quæ pecuniam, supellectilem, census, fundos, patrimonia temerariæ sortis committit arbitrio; quæ affluentissimam quanuis opulentiam exhaurit; quæ domibus vastitatem affert, coniugibus, ac liberis egestatem, gentibus notam? Quæ leges æquitatis, & necessitudinis iura pessundat, quæ per summum nefas, quàm iniusta hominibus, tàm iniuria Deo, non horret in venerandam illius Maiestatem execranda dicteria vibrare, quasi Titanio furore Cœlo etiam bellum indicat?

Sed, vehemens, inquies, voluptatis libido Aleatorum animos violentissimè rapit adeò illecebrosa dulcedine, vt eam præstet vel tanti mercari. Magnà nimirum voluptas mancipatam abaco lusorio vitam voluntario supplicio damnare, Ixionijs aleæ rotatibus continuò torquendam. Superstitiosi Fortunæ cultores dies illi ieiunas, noctes deuouent insomnes. Arcana illius mysteria scrutaturi consulunt fatale volumen: pagellas videlicet, varijs figurarum ambagibus inscriptas, tam alta cogitatione defixi voluunt, reuoluunt, inspectant; vt latentem credas in obscuris Ægyptiorum notis profundiorem

rem Sapientiam indagare. Quid quòd mortibus ludunt, & frigida manibus ossa iactantes ipsa mortalitatis monimenta vsurpant ad sortium ministerium? Sortilegos ne, an maleficos putem ab ossuarijs fata quærentes? Triste quidem silentium, & propè funereus pallor commercium decet vmbrarum. Dubio suspensi, expectatione soliciti, suspicionibus anxij, spe impatientes, metu exanimati, mærore tabescentes, marcentes inuidia, indignatione frementes, ludicri Vertumni ad Aleæ vices quot affectus, totidem ora permutant: ignei, plumbei, subfusci, flauentes, albidi an non vincunt Iridem mille trahentem colores? Quid ni hos Polypos, veriùs Chamæleontes appellem, in omnem speciem versatiles? Et quidem impasti captant auram fortunæ. Nunc in fornicem erecto, nunc demisso in pauimentum supercilio, nunc altero cubito innitentes labia diducunt, vngues mordent, perfricant barbam, vellicant aurem, occiput scalpunt, quatiunt pedes. Mitiùs torminosi agitantur; minùs inhorrescunt lymphati. Hoc motu corporum, hoc fluctu animorum somno, inedia, siti, æstu, algore confecti plusquam Spartana patientia diem, noctemque diuidunt inter curas, & vitia. Tantæ igi-

tur

tur licitatione torturæ tentare placet ancipitem Aleæ fauorem, quæ, si quando prosperè cesserit, insidis muneribus inescat, vt rapiat? Quid si vnico iactu deuoret annonam? Quid si antiquas opes momento sorbeat, æsque domesticum redigat ad assem? Tum scilicet satis fuerit insanis vociferationibus execrari tesseras, comminuere fritillum, proscindere chartulas, impijsque superum criminationibus consolari iacturam. Pessum abeat exitialis hæc ludi voluptas, quæ ludentes ita deludit, immò ludit, vt lædat.

APOSTROPHE AD ALEATOREM.

Nunc te compello strenue Aleator, oblite generis tui adolescens, qui aurum prodigis, ac ætatem. Nil ne aliorum pericula, nil te tua deterrent? Non amicorum consilia, non monita maiorum, non Auorum exempla; totque domesticæ Virtutis imagines reuocant ad mentem? Si quis è triuio, si quis de tenebris gurgustij, de grege ganeonum, aut recens à licentia castrensi verna procacior, cum perditorum hominum fæce turpissima hæc alearum commercia quotidie misceret, non ne publica vapularet infamia, digitoque notatus à pro-

à proborum Ciuium consuetudine arceretur? Attamen in genium abiecti sanguinis, in prauam indolem nulla disciplina correctam, vel in haustam malorum contubernio nequitiam culpa verteretur. Quos verò de te spargi susurros, quàm malè apud æquales tuos olere te putas, qui clarissimis ortus natalibus, optimis institutionibus ad vitæ integritatem formatus, cum ingenuis, ac probè moratis adolescentibus educatus, enutritus lacte Musarum, bonarumque Artium cultu læuigatus, à tuorum splendore, à te ipso degener, improborum Aleatorum Collegio nomen dedisti? Has ne tu acies, huiusmodi Academias frequentasse arbitraris gentiles tuos, qui sago, vel toga illustres gloriæ verticem attigere? Illos Patriæ charitas, & laudis amor in solem, ac puluerem, arduumque belli discrimen exciuit. Te aleatoria palæstra vmbratilem pugilem exercet; idque gloriosum putas, si segni facinore vincas sedendo. Illi militaribus præfecturis, grauissimis expeditionibus, & strenuè gestis insignes in supellectilem auiti honoris palmas, & laureas intulere. Tu papyracei ductor agminis, præda sæpius, quàm prædator, in pictum militem pugnas inglorius. Alij, qui pacis artibus clariores excelluere doctrina, magno publicæ rei emolu-

mento

mento prima tenuere dignatum subsellia, vt iura tuerentur, & æqua lance librarent momenta causarum. Tu in gregalium congerronum curia sedens ad lusorium tribunal, vt scras lites, non dirimas, à Sortis, non à iuris vrna, suffragia exquiris. Illis gratius nihil, quàm peruoluendis eruditorum paginis impendere studiorum vigilias, & è veterum monumentis haurire documenta Sapientiæ. Tu solutiores codices versas, licentioris vitæ magistros, & Crassæ Mineruæ redolentibus oleum chartulis impallescis.

Mitto frequentia rei familiaris detrimenta, & suffecturam in annos pecuniam breui ludo profusam. Sileo violatas iniurijs amicitias, exorta immanissima dissidia, mistisque Aleis, & armis, versum persæpe ludum in pugnam. Prætereo domesticorum, hanc tuæ turpitudinis maculam non ferentium, indignationem, qui te vt spectatissimæ cognationis dedecus auersantur. Finge tibi, non indecoram Aleam, non familiæ noxiam, immò constanti fortunæ gratia felicem: quo tamen vnquam pretio redimes ætatis, ingenijque dispendium? Ita ne verò mentem illam negligis, eximium naturæ munus, ad omnia flexilem, miro acumine, mira celeritate præstantem,

qua

qua poteras aliquandò inter literariæ Reip. Proceres occupare honoris fastigia? Vbinam primus ille discendi ardor, & æmulatio virtutis? Vbi promittentes maturioris Eloquentiæ suauissimos fructus flosculi Orationis? Vbi dextero Apolline vena fluens, quæ iam pleniori se se alueo efferebat? Quid hoc laudabile Tirocinium, spesque de te conceptas tam importunè abrupisti? Præstat igitur iugulare ingenium ad aras Aleæ, hanc præ Suada, præ Calliope venerari, præferre abacum Parnasso, & Latinæ linguæ delicias vernaculis contumelijs posthabere?

Nemo non queritur de vitæ breuioris pernicitate, quæ magna persæpe cœpta proscindit, nec metiri finit amplissima scientiarum spatia; cùm latiùs discendi fines pateant, quàm viuendi. Quid tu prodigus temporis naturæ auaritiam accusas? Perge dies, noctesque conterere, ludoque largiri hoc ver annorum, spargendis virtutum seminibus datum, quorum messem colligat virilis maturitas: tum vbi decoxeris, bonæ frugis expers, & expes factum vitio tuo damnum imputa, si quidquam proderit, mortalitatis angustijs. Veniet profectò, quæ tacito pede properat, grauior ætas; tumque sera, sed inutili pœnitentia lugebis an-

norum iacturam: tum imminuta fortunæ, animique bona sine fructu dolebis. Ast aurum, quod Alea rapuit, fortasse aliquando rependet fertilitas agri, vel alia rerum felicitas instaurabit: quam verò perdideris vitæ partem frustra speraueris instaurandam.

De Diminutione, seu Extenuatione

APPENDIX.

MIrabatur olim Satyrus apud Æsopum, ex eiusdem hominis faucibus calentem, frigentemque auram exhalari. Non aliam quippe nouerat semiferus hospes multò magis mirandam vim oris humani, cuius anceps, & se se fundens in diuersa spiritus penè rerum species immutat; modò enim exiguas augendo maiori mole conflat; modò minuendo prope distat ingentes. Hinc Isocrates ex hac mirabili vtrinque virtute Rhetoricam definiuit *Artem, qua ex paruis magna fieri possunt, ex magnis parua.* Quæ Definitio non satis quidem explicat Rhetoricæ naturam, duo tamen attingit eximia Eloquentiæ munera, quibus pro rerum opportunitate præstare debet Orator; & quanuis maior plerunque sit apparatus in primo, in secundo fortasse plus

artis

artis est. Cùm itaque de rebus per Amplificationem augendis tam multa scribantur, cur de minuendis tam pauca, vel nulla? Nos igitur vnicam saltem Appendicem de Diminutione Amplificationi subdamus; ne cùm vtraque sæpius vtendum sit, hac satis cognita, illa pænitus ommissa ignoretur.

Quid sit Diminutio; vnde sumatur; quis eius vsus.

DIMINVTIO est Oratio, qua rebus vel vera, vel apparens magnitudo detrhaitur. Illa ergo minuuntur, quæ vel in se sunt magna; vt cùm belli pericula, & mala dicendo lenimus, ad ciuium animos erigendos: vel quæ magna videntur; vt cùm exaggeratum ab Aduersarijs crimen, quod ideo videtur atrocius, ita extenuamus, vt nullius momenti, aut multò leuius appareat.

Ab ijsdem locis Diminutio desumitur, à quibus Amplificatio. Quibuscunque enim additis res crescit, eorum rursus opportet detractione decrescat. (a) Ita si Goliath aliquis virtutem suam amplificet à gigantea corporis proceritate, quasi hominibus præstet, qui al-

a *Rodulphus Agr. lib. 3. cap. 3.*

tiori vertice proximiùs accedit ad Superos, pusillus Dauid argumentum Diminutionis ab eodem corporis Adiuncto desumet, ostendendo communem esse hanc laudem longurijs, vilioribus etiam hortorum oleribus, nedum nemorum plantis; nec in homine, sed in iumentis immania membra spectari.

In Verbis quoque vis minuendi est. Hinc vtimur Diminutiuis, cùm dicimus *ingeniolum*, *homunculum*, *doctorculum*, *magistellum*, *munusculum*, *agellum*; vel pro vocabulis proprijs alia leniora, minusque aliquid significantia substituimus. Ita sæuiorem hominem *seuerum* vocamus, ignauum, *mitem*, dicacem *argutum*, timidum *cautum*; vide quæ de Catachresi, & Hyberpole minuente attigimus in Tropis. Quandoque verbis deteriorem sensum habentibus res explicamus ad contemptum: vt cum *Philosophaster* pro Philosopho dicitur, *garrulus* pro Eloquente, *gurgustium* pro domo; pro Caussidico *Rabula*, *leguleius quidam cautus, & acutus*, *præco actionum*, *cantor formularum*, *auceps syllabarum*. *Cicero in Oratore*.

Vtilis Diminutio est ad vitandam arrogantiæ suspicionem. Quare commune hoc est modestiæ idioma; vt pro-

pria,

pria, quanuis egregia, & digna laude, aliqua dicendi ratione attenuet. Hinc toto notus in orbe Martialis argutissima sua carmina passim nugas appellat, perditasque papyros. *Lib.13. ep. pr.*

Ne toga Cordylis, & penula desit oliuis,
Aut inopem metuat sordida blatta famem.

Alciatus quoque doctissima Emblemata ad Chonradum Peutingerum missa *chartacea munera* vocat. *In præfatione libri Emblem.*

Hæc in proprijs extenuandis Oratorum, Scriptorumque modestia, cùm pertineat ad laudem morum, non minùs pertinet ad sani famam ingenij, nec enim multum sapere censetur arrogans ostentator: immò sæpiùs euenire videmus, quod Plinius iunior aduertit, vt *recta ingenia verecundia debilitet, peruersa confirmet audacia. Lib. 4. epist. 7. Lepido.*

Vtuntur Diminutione Oratores ad amoliendam inuidiam, & beneuolentiam conciliandam. Quamobrem Tullius ipse, gloriosus alioqui rerum suarum buccinator, hanc adhibet aliquando. Sic Orationem pro Archia Poeta exorditur ab ingenij sui extenuatione. *Si quid est in me ingenij Iudices, quod*

 sen-

sentio, quàm sit exiguum &c. alibi se nouum hominem, & Arpinatem meminit, omnemque suam dignitatem se profitetur Quiritum beneficentiæ debere.

Valet plurimum in Suasionibus Diminutio, cùm in rebus arduis difficultates, quæ animos deterrent, extenuamus. Hac vtitur apud Liuium Annibal, Pœnos alloquens, de transitu Alpium solicitos. *Decadis 3. lib. pr.*

Mirari se (inquit) quinam pectora semper impauida repens terror inuaserit: postquam multò maiorem partem itineris emensam cernant: cùm in conspectu Alpes habeant, quarum alterum latus Italia sit, in ipsis portis hostium fatigatos subsistere, quid aliud Alpes esse credentes, quam montium altitudines? Fingerent altiorem Pyreneis iugis; nullas profectò terras Cœlum contingere, neque insuperabiles humano generi esse. Alpes quidem habitari, coli, gignere, atque alere animantes. Peruias paucis esse? Exercitibus inuias? Eos ipsos, quos cernant, Legatos non pennis sublimè elatos Alpes transgressos. Nec maiores quidem eorum indigenas, sed aduenas Italiæ cultores, has ipsas Alpes ingentibus sæpe agminibus cum liberis, ac coniugibus migrantium modo tutò transmisisse.

fisse. Militi quidem armato, nihil secum præter instrumenta belli portanti, quid inuium, aut insuperabile esse?

Seneca Philosophica Extenuatione suadet malorum omnium, ipsiusque mortis terrorem esse contemnendum. *Epist. 24. ad Lucilium.*

Illud ante omnia memento demere rebus tumultum, ac videre, quid in quaque re sit: scies nihil esse in istis terribile, nisi ipsum timorem. Quod vides accidere pueris, hoc nobis quoque maiusculis pueris euenit. Illi, quos amant, quibus assueuerunt, cum quibus ludunt, si personatos vident, expauescunt. Non hominibus tantum, sed & rebus persona demenda est, & reddenda facies sua. Quid mihi gladios, & ignes ostendis, & turbam carnificum circa te frementium? Tolle istam pompam, sub qua lates, & stultos territas. Mors es, quam nuper seruus meus, quam ancilla contempsit. Quid tu rursus mihi flagella, & equuleos magno apparatu explicas? Quid singulis articulis singula machinamenta, quibus extorqueantur, aptata, & mille alia instrumenta excarnificandi particulatim hominis? Pone ista, quæ nos obstupefaciunt: iube conticescere gemitus, & exclamationes, & vocum

inter lacerationem elisarum acerbitatem. Nempe dolor est, quem podagricus ille contemnit, quem stomachicus ille in ipsis delicijs perfert, quem in puerperio puella perpetitur &c. *Tota epistola eandem Sententiam probat.*

In Defensionibus quoque ad Crimina eleuanda Diminutio adhibetur. Hac Cicero *pro Q. Ligario* huius, aliorumque causam, qui contra Cæsarem Pompeio adhæserant, in Tuberonem accusatorem tuetur.

Scelus tu illud vocas Tubero? Cur? Isto enim nomine illa adhuc causa caruit. Alij errorem appellant, alij timorem, qui duriùs spem, cupiditatem, odium, pertinaciam, qui grauissimè temeritatem: scelus præter te adhuc nemo. Ac mihi quidem si proprium, & verum nomen nostri mali quæratur, fatalis quædam calamitas incidisse videtur, & improuidas hominum mentes occupauisse, vt nemo mirari debeat humana consilia diuina necessitate esse superata.

Idem *pro M. Cælio* in tota fermè Oratione ita obiecta illius adolescentiæ crimina diminuit, vt ostendat esse potiùs communia pluribus conuitia, quàm crimina, & iuueniles errores aliqua ipsius ætatis venia excusari.

Nec minus vtilitatis habet Extenuatio

tio ad infringendam Aduersariorum iactantiam, vel ad superbum aliorum tumorem deprimendum.

Cicero *pro L. Murena* Iurisprudentiam, quam Sulpicius in petitione Consulatus ostentabat, extenuando penè ad contemptum deducit.

Et quoniam mihi videris istam scientiam Iuris, tamquam filiolam osculari tuam, non patiar te in tanto errore versari; vt istud nescio quid, quod tantopere didicisti, præclarum aliquid esse arbitrere. Alijs ergo te virtutibus continentiæ, grauitatis, iustitiæ, fidei, cæterisque omnibus, Consulatu, & omni honore semper dignissimum iudicaui. Quòd quidem Ius ciuile didicisti, non dicam operam perdidisti, sed illud dicam, nullam esse in illa disciplina munitam ad Consulatum viam.

Primùm dignitas in tanta scientia quæ potest esse? Res enim sunt paruæ in singulis literis, atque interpunctionibus occupatæ. Deinde, si quid etiam apud maiores nostros fuit in isto studio admirationis, id enuntiatis vestris mysterijs totum est contemptum, & abiectum &c.

Ibidem Stoicæ Philosophiæ grauitatem, quam Cato sequebatur, eleuat adeò, ac festiuissimè traducit, vt ipse

qui aderat accuſator, natura, & inſtitutione ſeuerus, cùm riſum cohibere non poſſet, dixiſſe feratur. *Dij boni quam ridiculum Conſulem habemus!* Totam hanc Orationem peruolue, nam plurimùm in Extenuatione verſatur.

Seneca bona Corporis, quibus homines perperam ſæpè gloriantur egregiè diminuit per Comparationem cum cæteris animantibus. *Epiſtola 79.*

Ratio perfecta proprium hominis bonum eſt; cætera illi cum animalibus, ſatiſque communia ſunt. Valet? & Leones. Formoſus eſt? & Pauones. Velox eſt? & Equi. Non dico in his omnibus vincitur: non quæro, quid in ſe maximum habeat, ſed quid ſuum. Corpus habet? & Arbores. Habet impetum, & motum voluntarium? & Beſtiæ, & Vermes. Habet vocem? ſed quanto clariorem Canes, acutiorem Aquilæ, grauiorem Tauri, gratiorem, mobilioremque Luſciniæ?



DE

Quid sit Descriptio, quæ illius materia, quæ forma, quis vsus, quotque sint illius species.

CAPVT PRIMVM.



SI vnquam Picturæ laudem ita æmulatur, vt vincat, Eloquentia, tunc sanè maximè; cùm descriptas exhibet imagines rerum, quasi pictas in tabula, oculisque spectandas. Omnem quippe superat artem colorum vis illa, quæ non corporum tantùm, sed animorum lineamenta, mores, affectusque hominum exprimit, & voces; vt longè absentes, immò, & vita iampridem exutos præsentes intueri videaris, & loquentes audire. Quanuis autem in Figuris Descriptionem attigerim, illam diligentius examinandam huc distuli, post Locorum, & Amplificationis explicationem, cuius hæc pariter quædam forma est, ab iisdem Locis emanans.

Est ergo DESCRIPTIO picta Orationis coloribus rerum imago. Varia, &

multiplex est, siue illius materiam, siue formam, siue vsum respicias.

Si Materiam quæris, per omnem spatiatur rerum Naturam; quin & vltra illius terminos quandoque progreditur; non solùm enim ea, quæ sunt, præsentia, præterita item, & futura, sed illa insuper, quæ repugnat esse, conflata ex diuersis, & contrarijs monstra, & somniantium in bicipiti Parnasso portenta describit.

Forma tam varia est, quàm materia, cui stylus conuenire debet, aptusque verborum, & Figurarum vsus; vt seria grauiter, amœna festiuè, leniter blanda, magna splendidè, parua submissè, quæque pro sua ratione tractentur. Alia insuper Descriptio est breuis, & expedita per Definitionem, quam suo loco tradidimus; alia, de qua nunc agimus, diffusa, & explanata per plures Locos, ac Figuras.

Vsum quoque multiplicem habet Descriptio apud Poetas, Historicos, & Oratores. A Poetis ad voluptatem, ac pompam; ab Historicis ad notitiam rerum; ab Oratoribus ad ornandum, docendum, delectandum, mouendum adhibetur. Sed fugienda eorum siue intemperantia, siue leuitas, qui Eloquentiæ laudem perperam aucupantes, accersitis in quanlibet Orationis

par-

partem Deſcriptiunculis multùm ludunt, nihil probant. Cæterùm exercendis Adoleſcentium ingenijs aptiſſima Deſcriptio eſt: quamobrem quanuis inter Figuras plerunque referatur, illam Aphtonius inter Progymnaſmata non immeritò collocauit.

Ad rectam rerum Deſcriptionem duo maximè neceſſaria ſunt. Primum, vt earum natura cognita ſit deſcribenti. Secundum, vt propria ſuppetant earum vocabula, quibus tanquam ſuis coloribus exprimantur: hinc admonet Rodulphus *libro* 2. *cap.* 28. notiora vtiliùs ab his deſcribi, qui primam huic curæ afferunt manum.

Deſcriptionum Species omnes ne numerandas quidem ſuſceperim, ſi velimus infimas quaſque ſectari, propè innumeras; totidem ſcilicet, quot rerum, quæ vel animo fingi poſſunt, vel ſtylo pingi. Sed ne ſine certis limitibus tam latè vagemur, celebriores colligam, à Scriptoribus vſurpatas, quæ ſunt veluti ſumma Capita cæterarum. (a)

Prima eſt Deſcriptio Perſonarum, Secunda Locorum, Tertia Temporum, Quarta Rerum. Ad primam pertinent Proſopographia, Æthopœia, & So-

a *Carbo de Elocut. lib.* 1. *diſp.* 24. *& lib.*4. *diſp.* 7. *Galli Rhetor. lib.*3: *c.* 28.

& Somatopœia: Ad secundam Topographia, & Topothesia: Ad tertiam Chronographia: Ad quartam Pragmatographia.

Harum finibus contentus non altiora scrutabor, Deum, & Diuina, subliminoresque substantias silentio veneratus. Quòd si tamen de Deo, de Angelis, & solutis corpore mentibus agendum sit, reuocare iuuabit in memoriam pauca illa, quæ de illorum laudibus diximus Capite vltimo de Amplificatione. Nihil præterea nobis est cum abstrusis Philosophiæ, aliarumque Scientiarum, & Artium arcanis: nondum enim profundiora rimamur: immò potiùs obuiam sensibus rerum superficiem spectamus, quàm intima earum penetralia. In his interim Descriptionum Speciebus explicandis nec te multis præceptionibus morabor, nec paginas onerabo exemplis, cùm horum Syluæ per omnium manus eant aliorum industria collectæ.

DE PROSOPOGRAPHIA.

CAPVT SECVNDVM.

PROSOPOGRAPHIA est vera Personæ descriptio ab exteriori Corporis Specie. Vtitur maximè Distributione

tione partium, & Adiunctis ipsius Corporis. Huius est exprimere oris lineamenta, colorem, dignitatem, toruitatem, deformitatem, membrorum elegantiam, vel vitia; staturam, obesitatem, vel gracilitatem, crinem, obtutum, vocem, incessum, firmam, vel infirmam valetudinem: vestium prÆterea munditiem, & luxum; vel negligentiam, & sordes.

Huc eas quoque reuoco Descriptiones, quæ structuram totius humani Corporis explicant, vel circa singula membra versantur; vt caput, oculos, manus; mirabile illorum opificium, variaque munera demonstrando; quod egregiè præstitit D. Ambrosius *lib. 6. Hexameri c.* 9., & Cicero *lib. 2. de Natura Deorum*; vt ommittam Galenum, aliosque artis Anathomicæ Scriptores.

Pari modo cæterorum quoque animalium corpora describuntur per Partes, & Adiuncta, spectando peculiares eorum formas, & naturæ proprietates; rictus vel ad terrorem feros, vel ad spectantium voluptatem festiuos, ac ridiculos; villos, iubas, & distinctas maculis pelles: tum eorum vsus ad humanæ vitæ commoda, diuersasque indoles, astus, agilitatem, cursum, robur, ferociam. In Auibus pictam plumarum pompam, cristata capita, instru-

ſtrumenta rapinæ roſtra, & vngues; in alijs maiorem volatus pernicitatem, gratiorem in alijs ſuauitatem cantus, qua mulcent hominum aures pennatæ Syluarum Sirenulæ. In Piſcibus multiformes eorum ſpecies, nitentes argento ſquamarum loricas, & interlitos auro colores; miramque illam, & mutam ſub vndis natantium vitam &c. Plures animalium Deſcriptiones offeret Naturæ indagator Plinius, & è recentioribus Vlyſſes Aldrouandus, qui naturalem Hiſtoriam omnigena eruditione illuſtrauit. Has autem irrationalium animantium Deſcriptiones Proſopographiæ ſubijcio, quòd pariter ſpectent ad exprimendas Corporum formas: Cæterùm non ideò *PROSOPOGRAPHIAS* eas vocauerim, cùm Perſonæ ratio brutis non conueniat, ſed potiùs *THEROGRAPHIAS*, hoc eſt Ferarum Deſcriptiones, vel communiori voce *ICONOGRAPHIAS*.

Proſopographiæ exempla.

Literati, ſtudioſique Viri effigies.
Is fuit eruditiſſimus Carolus Maria Maddius, Græcis, Latiniſque literis, & Italica Poeſi clariſſimus.

Sedebat ſolitarius ad pluteum Vir nunquam feriatus à ſtudijs; immò nunquam

quam ideo solus, quo cum literæ omnes versantur assiduè. Sedebat, inquam, ad pluteum, & calamum suspenderat manu; tam alta cogitatione defixus, vt signum hominis opinarer, scribenda meditantis. Cùm enim secretioribus fruitur Musarum suarum colloquijs, aliquando & mentem, & sensus in Heliconem transmittit. Si tunc fractus illabatur orbis, non sentientem, ne dum impauidum, ferient ruinæ: donec veluti Numine concepto redit ad paginas, & aureæ venæ diuitias mira felicitate profundit. Fauet ingenio habitudo corporis, & idonea literis atræ, flauæque bilis temperatio: ideo subfuscus in ore color, interdum pallore suffusus, qui studiosis à mortuorum consortio venit. Accedit firma valetudo, quam & si podagra quandoque pertentet, attamen difluens in pedes morbus non mentis otia perturbat. Ea frontis, vultusque grauitas, quæ hominem deceat seria cogitantem, neque tamen à comitate dissentiat; quam æquè Charites ament, & Camœnæ. Statura supra mediocrem mensuram; vt scias, par esse magnæ menti habitaculum; quanuis ea non desit membrorum gracilitas, quæ plerunque comitatur ingenia. Ætas maturiori Sapientia valens, sed integris viribus, & non-

dum

dum tota hyeme in crinem sparsa; nulla verò texerit hyems æternos flores, quibus auxit Parnasi delicias.

PRINCEPS BELLATOR.

Grauissimus, idemque gratissimus decor, & emicans in vultu species generosæ virtutis Principem statim inter bellatores ostendunt. Viuidus oculorum fulgor, & arcana vis in animos: vt enim aut mitiùs, aut seueriùs aspexit, vel excitat, vel terret. Nec adeò frontem asperauit acies, quin spiret ingenitam suauitatem, amore, & obsequio dignam. Sonora vox, quam siue dispenset imperia, siue contineat in officio militem; seu erigat ad prælium, naturæ, artisque beneficio feliciter exercet: vt qui loricatam secum Mineruam habet, ac fœderatam Marti Suadam. Validum cum virili vigore corpus, & cum elegantia robustum, prorsus factum ad bella; quod non laboribus, non vigilijs, temporumue iniurijs fatiscit, in sole semper, ac puluere, in assiduis expeditionibus nunquam diligentiùs curatum; nec enim Aulæ commoda, & lautitiem quærit in castris Flaua, decensque cæsaries, quanuis non licentiùs effusa, neque molliùs culta. Eadem in vestibus ratio, quibus ita consulit dignitati, vt militari negligentia luxum contemnat.

nat. Castrensi quippe disciplina primis ab annis instructus omnes assueuit aspernari delicias. Cùm sedit in equo, ducturus agmen, ensemque distrinxit, maior illi quædam maiestas accedit, quæ suis fiduciam affert, hostibus terrorem.

FOEMINA RECENTIORI LVXV ORNATA.

Ad multam diem versata cum speculo, & iam lassatis ancillarum ministerijs, ex intimo penetrali onerata verius, quàm ornata, suoque luxu laborans mulier prodit. Mulier inquam? immò pictura mulieris totaque ex arte imago. Equidem Cleopatram aliquam, aut Semiramidem amoto sipario induci credideram. Et parem profectò Regiæ personæ cultum induerat, insuper adeò splendidè cothurnata, vt gemmatis pedibus vilesceret nobilius metallum. Nec deerat larua: liberalem enim alioqui formam siue auxerat fuco, siue infecerat, nouum omnino sibi finxerat vultum. Inter cætera muliebris plasticæ artificia mirabar & maculas inter munditias acciri. Studiosè sparguntur in frontem, ac genas nigriores labeculæ, quæ impressæ nascentibus emendarentur, vt vitia. Ita quæ sponte lentiginosam cutim pati non possent, ascititia stigmata

mata nunc habent in pretio; & quasi se de damnata stirpe glorientur, præfixum Euæ nigrum Theta consultò reuocant in faciem, pluribus notis ambitiosè rescriptum. At nitidissimi terrarum Soles laudant *inspersos egregio in corpore nauos*. (a) Ne oculos intuentium perstringant, his puto nubeculis temperandum censuere sincerum oris fulgorem. Quorsum plura? Quid ista sint, à Gynæcei vocabularijs disce. Muscas vocant; ad dulcissima videlicet capita conuolantes. Laudo vocis proprietatem pariter, ac modestiam; & miror ab eloquentibus impendiò Fœminis relictas Platoni suas apes: quanuis fortè timuere delicatis genarum rosis aculeos. Bene est: habeant sibi suas muscas, Heliogabali suffragio, domesticas apes, vrbanissimis dignas apiarijs. Hæc mecum tacitus argutabar; cùm gradatim mulier, veluti pompæ ferculum, procedit ad fores. Et amplæ quidem patuerant; sed diuidendi fuerant muri, vt recta exiret hæc machina, (b) nec enim equo Troiano vel minor, vel melior. Dum ergo superbam ceruicem inflectit, immanissimam ex recentiorum licentia cristam aduerti, simulque profusam syrmatis caudam intuitus; vnde nam (inquio)

a *Hor. p. Serm. Sat. 6.* b *Virg. 2. Æneid.*

quio) tam grandes ætate nostra galeritæ? Quid ni pollicear huic seculo Semideorum sobolem fœcundissimam, si conijcere licet ex turrito vertice tot Cybeles matres? Quousque surget muliebris fastus, qui minax in cælum iam Phlægram transtulit in caput, & supra *stelliferum* frontis *olympum* (a) iunxit *frondenti Pelion Ossa*? (b) Ita sanè crines crinibus aggerantur, plumæ, lemnisci, vt impositos credas montibus montes. Cauesis Iuppiter, ne quod Gigantibus olim non cessit, Amazones nostræ obtineant, vt te de solio proturbent. An ferreum hoc æuum quisquam neget, quod molliorem etiam sexum inter delicias armat ad bella? Certè quocunque oculos verto, galeatas video Penthesileas. O quanta gliscit sub comanti casside ferocia! Putasne demitti posse ad Virorum obsequium, quæ tam altè cristas attollunt? Hoc denique mulierum fatum est, vt vel acephalæ sint, vel enormiter capitatæ. Plura mussitantem amicus interpellat: Sciscitatur lepidus homo, cuias ista sit, insigniter adeò mitrata, demissis in humeros redimiculis? An ex Persia recens aduenerit? Tum ego. Nostras hæc Persa est; sed esse vbique Persiam hodie scito, latissimè diffusa huius ge-

sta-

a *Sen. in Hipp.* b *Stat. 8. Theb.*

staminis corruptela. Crescit in dies vetus Fœminarum ambitio. Auidæ venerationis,olim *circumornata,ut Similitudo templi*,(a) nunc etiam similitudinē sacri apicis induere. Scis ne quo nomine istas vocem? Antistitas vanitatis.

ICONES ANIMANTIVM RATIONE CARENTIVM.

ELEPHAS.

Ex Io. Barclai Argenide lib.4.

Immensum,& informe animal plenè omnibus membris vna mole confusis. Mersum caput inter humeros, nec à globo multùm dispar, nisi quà proboscis in terram descendit, fœdè promissa à naribus; & si color absit, instar longi, & tumidi anguis, neruorum circulis ita articulatim nexa, vt contrhai, laxariq; flecti etiam possit, & esse pro manu. Patulæ aures vtrunq;tempus tegunt. Oculi exiguo orbe sub tumida fronte reconditi. Ebur, quo pretiosissimi sunt, longè ex ore eminet, penè instar lituorum; nisi quòd debiliori parte inflectitur.

SIMIVS.

Sannionem tibi de nemore sisto: ridiculum animal, at præcæteris humano

a Psalm. 143.

no corpori simillimum. Ambiges, an inchoatum hominem error naturæ deformauerit in brutum, an superinduerit homine conceptam antea feram. Monstrum vtique dices ex vtroque mistum, iamque minus miraberis, & Satyros, & Centauros fabulantium libidine concinnatos. Simæ nares, vnde illi nomen, villosæque genæ, mimicusque rictus turpem referunt ad risum personam; qualem ori prætendunt in Fabulis Comœdi, siue laruati in Liberalibus ludiones. Quòd si, vt nauiter cætera, mentiri etiam loquelam posset, viliori theatra starent; minori quippe sumptu absolutissimam ageret histrioniam. Quis enim Actor alienos mores accuratiùs imitetur? Quis Pantomimus vultum, ac membra in festiuiores gestus inflectat? Quæ Saltatricula maiori agilitate se vibret? Si prodeat in scenam, non ne spectatoribus imponet, plausumque merebitur, tanquam Scurra pilosus? Cæterum nares, aures, dentes, & cum palpebris oculos, & quinos in manibus digitos, & vngues, brachiaque, & crura intuere; vel syluestrem homuncionem iudicabis, vel ridiculè deprauatum. Simium domi si alas, gratuitum alioqui morionem habebis, nec emes in pompa Citeriam.

CAR-

CARDVELIS.

In musico auicularum choro, quas nostrarum voluptas aurium carceri damnat, vix vlla est Carduele venustior. Sic eam appellamus à Carduis; quorum semina tam auidè pabulatur, vt eorum illicio fiat aucupum præda. Aliquantò minor Luscinia est, quam & si cantus argutia non æquat, vincit constantia, forma longissimè antecellit. Nigricat summus vertex, & circa radices rostrum. Pars capitis anterior purpura vestitur, quam alba vtrinque tempora definiunt, acriùs ex vicinia rubentem. Idem ostrum guttur colorat: humeros ferrugineum tegit amiculum, subalbescente sensim colore, quà descendit in ventrem. Nigras alarum, caudæque plumas distinguit candor; sed remiges pennas ambit luteus margo, velut auro fimbriatas. Nulla citiùs dediscit libertatem, moresque siluarum; nam postmodum carcerem suum amat, facilèque familiaribus assuescit. Iam non impatientiùs mordere cancellos; non auersari hominum conspectum; quin etiam ludente rostello colludentium digitos leuiter vellicare: ad notam heri vocem reserata cauea euolare in caput, in humeros, in sinum: nunc suspenso

vo-

volatu plaudentibus alis gestire: nunc se dimittere ad nutus, cibosque sumere de manu; tum bona hospitij fide sponte redire in claustra, & quasi è suggestu gratias modulari.

Carduelem, qualem vidi, expressi. Cæterùm varias illius formas describit Vlysses Aldrouandus lib. 18. *Ornithologiæ cap.* 11.

DE ETHOPOEIA.

CAPVT TERTIVM.

ETHOPOEIA *est morum, & affectuum expressio, quæ certis indicijs cuiusque indolem, animique motus describit*. Quare sicuti Prosopographia exteriorem Personæ speciem, hæc interioris hominis effigiem repræsentat. Eadem Notatio, Figuratio, Imitatio, Characterismus, Ethologia nominatur.

Distinguunt aliqui *ETHOPOEIAM* à *PATHOPOEIA*; quòd hæc vehementiores perturbationes exprimat, illa mitiores motus, & mores. Nos vnico *ETHOPOEIÆ* nomine quaslibet affectuum Descriptiones complectimur.

Desumitur pariter hæc Descriptio à Partium enumeratione, & ab Adiunc-

tis Corporis, ac Animi, atque ab Effectis. Prosopographiam sæpe inuoluit, nec rarò Sermocinationem, seu Prosopopœiam admiscet: cùm exterior aspectus, & sermo sint indices mentis.

Huius quidem summa laus est; vt species, cultusque Corporis, motus, actio, & oratio Personæ descriptæ moribus, & conditioni conueniant. Alia quippe est sobrij, cordatique hominis facies, alia temulenti: dispar vtriusque gestus, & sermo; quæ ita discrepant, vt dissentiunt affectus.

Verecundi facilè rubent, erumpente illico in genas purpura, & ægrè ferentes aliorum intuitus vultum demittunt. Audaces contrà ruborem nesciunt; quin perfricta, solidaque fronte inconniuentes pupillas in obuiumquenque conijciunt, neminem reuerentes. Irati micantibus oculis, toruo aspectu, spumantibus labris, crebra manuum, pedumque supplosione inhorrescunt. Meticulosi decolores, quasi concreto in venis sanguine, arrectis comis, hærente in faucibus voce, ad auræ sibilum, ad motæ frondis vmbram totis artubus contremiscunt. Inuidi limis obtutibus, ore plumbeo, liuidi, macie confecti, alienis gestiunt malis, bonis contabescunt. Delicatuli,

li, ac molles nitida, & bene curata cute, læues, glabelli, cirrati, fluentes vnguentis, ad omnem elegantiam compositi muliebrem luxum æmulantur. Qui varijs animi motibus exæstuant, vario quoque corporis motu agitantur, & intimos perturbationum fluctus mutato subinde colore testantur. At grauem, sapientemque virum dignitas oris commendat, quæ amari possit, ac timeri; & in lætis æquè, ac tristibus, vt animi, sic frontis constans malacia.

Habet præterea quisque Sexus, quæuis Ætas, quæuis hominum Fortuna, quælibet Natio mores suos, quos imitari Ethopœia debet. Varias Ætatum Gentium; & Ingeniorum indoles expressit egregiè Ioannes Barclaius in Icone animorum: describendis verò morum characteribus Theophrastus excelluit.

Cùm in Ethopœia Sermocinatione vtendum est, spectetur loquentis conditio, vt digna se verba faciat: hinc Horatius *in Arte Poetica*.

Intererit multum, Dauus ne loquatur, an Heros;
Maturusne senex, an adhuc florente iuuenta
Feruidus, an matrona potens, an sedula nutrix,

Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli;
Colchus, an Assyrius, Thebis nutritus, an Argis.

Nullum porrò magis ingeniosum Descriptionis genus est; cùm in imitandis Personis proprietatem, & Decorum requirat, in quo summa laus Poetarum est, nec minor ars Oratorum.

Iam verò vt Exemplum Ethopœiæ præbeam, cum Prosopographia, & Prosopopœia coniunctæ, festiuum argumentum propono, ludente stylo tractandum, qualem exigit persona.

ACCO AD SPECVLVM INSANIENS.

Notissima est deformis Anus insania, sed forma opinione delirantis, quæ cùm se turpiusculam videret in speculo, illud indignata confregit.

Videtis bellam puppam, superstitem seculo, bis puellam, annosiorem cornicibus, coruis concolorem, porrigine fœdam, sulcata fronte, striato vultu, lippis oculis, saliuosis labris, purulentis naribus, mucidam, rancidam, marcentem, strumosam, incuruam? cernitis animatam ossium struem, spirantem vmbram, semiuiuum aridæ cutis centonem, pallidam senij larnam, strigosam Hecaten, tumulo, tha-

thalamoque Ditis propediem inferendam ? Hæc tamen Hecuba repuerascens, (quippe post centesimum annum redordiri cœpit ætatem,) nulli cesserit Helenæ: ita sibi placet, vt se iudice suffragia Paridis mereatur. Iam itaque de formæ integritate secura studet insuper elegantiæ; atque vt longo vsu muliebres callet argutias, omnes conuocat ad ornatum; vt scilicet festiua die, pompa lautiore plausibilis, oculos rapiat intuentium. Nec deest mundissima Synthesis, ex Auiæ hæreditate superstes, adhuc fœmineo spectabilis mundo, quanuis tandiu rixata cum blattis. At quæ deceat felem crocota? Digito inserit pronubum annulum; sed ridente Hymenæo annulatam Harpiam. Laciniosum ex humeris mammillare demittit in pectus; at inanis alutæ velamen. Ambiunt collum vniones; verùm non tam annorum liuent iniuria, quàm strumæ fuligine. Pendent ex auribus nitidiores gemmæ; at quæ notant Æthiopicam Sagam, & admonent intuentes, hoc esse monstrum, licet nihil noui, ex Africa. Demum, vt specioso cætera corpori etiam staturæ maiestas accedat, proceritatem mutuatur à soccis. At quis, oro, Simiam in grallis non rideat? Ipsa certè, sed vna, scit, se

non pulcherrimam non esse; idque solum restat ad eximiæ venustatis coronidem, vt supremam comendo capiti manum imponat. Ergo, non tam vt videat, quid sibi desit, quàm quid miretur, & aliquando fruatur spectaculo sui, cum toto Cosmetæ apparatu speculum depromit ex arca: iamdudum enim declinauerat illius occursum, verita fatum Narcisi. Vt verò in conspectum venit, & mentiri nescia crystalli synceritas ipsam ipsissimam reddidit capularis anus imaginem, parum abfuit, quin veluti visa Gorgone rigeret. Hinc vbi horrorem indignatio excussit. O superum fidem! (exclamat) Acco ne ista est, an aliqua præstigiatrix, ac terriculum puellarum? Illa ne ego, quæ ludebam nuper in sinu matris, quæ inter domesticorum blanditias audiebam corculum, amor, delicium, quæ mille nuperrimè petita procis, Atalanta felicior, flammeolo nuptiali spectatissimum caput obnupseram? Vbinam frontis ebur? vbi rosæ genarum? vbi labiorum corallia? vbi dentium margaritæ? Ita secum obliuiosa delirat; non enim meminit annos; & fortasse nunc primùm dentire se putat; cùm è tribus dentibus, quos ad molendam pultem ætas deuexa seruauerat, vnum arroserit caries, alterum
tussis

tussis excusserit, tertius verò superstes paralysi laboret. At bene est, inquit; sentio quid istud sit rei. Mecum ludit blandè irata Venus, atque hac teterrima specie per iocum plectit prolixiorem formæ negligentiam. Si culpam hanc deleam, corrigam illico speculi errorem, & placata Dea vtar puriore crystallo. Applicat itaque ori volsellam, vt è molliculis nimirum genis primam lanuginem metat. Expedit purpurissum, cinnabarim, stibium, cerussam, & mille commiscet fucorum venena versuta Circe, quibus vitia cutis emendet, seque transformet in aliam. Lamiam credideris veneficis artus medicamentis vngentem. O perditum cum opera vnguentum! O infelicem pigmentorum iacturam, per hiantes rimas inaniter fluentium! Quæ vnquam argilla rugarum scrobes æquentur? quæ fidelia fumosas malarum parietinas dealbet? quibus lituris aut labes naturæ sanentur, aut cicatrices ætatis? Non ita sentit pulchella mulier; quin pergit vultum tergere, inficere, colorare; vt si reuiuiscat Xeuxis, atque hanc tabulam videat, fateri possit in pingenda vetula se minus artis habuisse. Iam arripit pectinem, & calamistrum, vt comas discriminet, ac torqueat in cirros; nec operosum est implexos in ordinem

crines digerere; cùm totidem fermè albente calua dinumeret, quot Vetustina Martialis. (a) Vbi ergo profusi licentiam capillamenti purpurea tænia coercuit, addito insuper phalerarum suggestu, floreo stemmate coronat; vt hoc etiam portentum accedat, quòd cana cum bruma vernet amœnissima Chloris. Ita sibi visa omnes elegantiæ numeros impleuisse iam speculum fidentiùs explorat, sæpiusque detersa oculorum amurca hebescentem aciem colligit perspicillis, quibus totam se hauriat, & expiatam omni menda puram putam Accus effigiem, formæ scilicet apicem, ambitiosis oculis ostentet. Oh pertinacem crystalli fidem! Ornatam fatetur, non pulchram: immò turpiorem, quòd ornamenta deturpet. Dabis tamen, dabis profectò pœnas veritas inurbana, quæ officiosa nescis adulatione dominam demereri. Crinali acu manum obarmat anus lymphata, & in speculum ruens, quasi Thessalicis artibus fascinatum, spectrum illud informe, quod horrens videt, hoc est se ipsam, prouocat ad certamen. Quicunque es, ait, improbe ludio, quem malus aliquis genius vitro inclusit, non effugies læsæ pulchritudinis iustissimas iras. Quid lates in insidijs æmule liuor?

a *Lib.* 3. *Ep.* 29.

uor? Ignauia est furtim insultare, vitreo fidere vallo dementia. Vel aperto Marte congredere, vel imbellem cum fragili munimento confodiam. Sic illa: nec minus, quàm voce, manu ferox, dum pugnat in turpitudinem suam, plectit innocentem cryſtallum, & minutatim effringit. Denique vbi deferbuit furoris impetus, vltione satiata, motos componit fluctus placidissima Iuno, & efferatas indignatione frontis gratias pristinæ reddit serenitati, secumque canit vindicatæ formæ victoriam. Vsque adeò constanter insanit proxima silicernio vespillonis amasia, dignissima suauijs Libitinæ.

INCONSTANTIS INGENII HOMINES.

Ex Icone Animorum Io: Barclai.

Est aliud ingeniorum genus, penè cæterorum omnium discrimina mira quidem, sed illaudabili varietate complectens: tamen in primis egregium, si quàm illi impetum, tam frænum natura addidisset. Illud est hominum, vt quique affectus impulerint, ad extrema ruentium. Si pietas seriò illis placet, & Numinis cultus, quasi nulla hilaritas intercedere tam sanctis offi-

cijs possit, fronte deiecta, & ad omnem remissionem irascente, supercilium inducunt non duraturæ Sanctitatis; alienæ etiam vitæ superbi censores cæterorum probitatem ex sua extemporanea seueritate metiuntur. Tunc priorum amicitiarum delicias solent abijcere, etiamque innocentem iucunditatem non ferunt, quæ in sapientium vita ad obliuionem, vel patientiam laborum solet interseri. Mox nimia intentione fractum animi robur, vbi odisse incipit hanc ipsam, cui inconsultè incubuit, pietatem, non per gradus, & reciprocantis æstus vices, sed in contrarium acto torrente repetit, quem omiserat, luxum. Tunc verò tam immodicè in voluptates solui, quàm eas ineptè refugerant: tunc etiam ipsum nomen seueritatis odisse, iocisque, & omni libertate cultoribus subhorridæ illius pietatis, quam modò reliquerant, illudere. Dum hæc agunt, ecce tibi reuocata pietas adest, tristique pœnitentia lasciuiam rursus expellit, donec etiam illius pœnitentiæ incæperit pœnitere. Nec in Numinis tantùm cultu frequens illa, atque immodica mutatio; vbique pari impetu errant. A summi amoris consuetudine eos in extrema odij velut aliquis turbo agit. Nunc assiduus labor placet; statimq; sine ner-

uis

uis segnities: iam mite literarum studium iam amorum exultans cupiditas, & quæcunque præterea in contrarios motus mortalium mentes agunt. Loquendi etiam, tacendique studium non satis adgubernant. Si incitantur feruore dicendi, quencunque cœtum iniuerint, sermonem vniuersis præripiunt, soliq; audiuntur: mox hilaritate destituti, quæ in verborum luxuriem diffuderat mentem, ægro silentio contabescunt, secumque velut ad internum colloquium collecti ita lumina defigunt, vt vix præsentes agnoscere, aut rogati audire videantur; pari vtrobique flagitio in humani consortij venustatem, in quo & commodè loqui, & tantùm per spatia tacere conceditur.

PHILIPPVS MACEDO INDOLE FRAVDVLENTA.

Ex Iustino lib.9.

Fuit Rex armorum, quàm conuiuiorum apparatibus studiosior, cui maximæ opes erant instrumenta bellorum; diuitiarum quæstu, quàm custodia solertior. Itaque inter quotidianas rapinas semper inops erat. Misericordia in eo, & perfidia pari iure dilectæ; nulla apud eum turpis ratio vincendi:

blandus pariter, & in gratia offensam simulare; insidiosus alloquio, qui plura promitteret, quàm præstaret: in seria, & iocos artifex. Amicitias vtilitate, non fide, colebat: gratiam fingere in odio, apud vtrunque gratiam quærere solennis illi consuetudo. Inter hæc Eloquentia, & insignis Oratio, acuminis, & solertiæ plena; vt nec ornatui facilitas, nec facilitati inuentionum deesset ornatus.

Similes illustrium Virorum Ethopœias plurimas dabit Iouius in Elogijs.

EVCLIO TENACISSIMVS AVARVS.

Ex Plauto in Aulularia Scena 5.

Pumex non æquè est aridus, atque hic est senex.
tute existima
Suam rem perijsse, seque eradicarier,
Quin Diuum, atque hominum clamat continuò fidem,
De suo tigillio fumus si quà exit foras.
Quin cùm it dormitum, follem obstringit ob gulam,
Ne quid animæ foras amittat dormiens.
Aquam herclè plorat, cum lauat, profundere.

Fa-

Famem herclè vtendam si roges nunquam dabit.
Quin ipsi pridem tonsor vngues dempserat:
Collegit, omnia abstulit præsegmina.
Pulmentum pridem ei eripuit miluius:
Homo ad Prætorem plorabundus deuenit.
Infit ibi postulare plorans, eiulans,
Vt sibi liceret miluium vadarier.

DE SOMATOPOEIA.

CAPVT QVARTVM.

SOMATOPOEIA *est ficta Personæ descriptio*. Hæc rerum visibili forma carentium Corpora effingit: Virtutes, & vitia, montes, fluuios, Vrbes, vmbras humanis, aut monstrosis artubus, & vestibus induit. Prosopopœiam quandoque adhibet, cùm fictas Personas loquentes inducit, & mutis, ac inanimis dat vitam, & vocem; idoneos quoque mores per Ethopœiam describit. Argutum sanè commentum, Poesi perutile, atque aliis insuper Artibus, quæ versantur circa rerum imagines, vt Plasticæ, Picturæ, Sculpturæ.

Ab

Ab iisdem fermè Locis, à quibus Prosopographia, deducitur. In id maximè niti debet, vt aptas rebus formas accommodet, abiectis humiles, illustribus egregias, lætis amabiles, noxiis horridas. Denique

Ficta voluptatis causa sint proxima veris. Horatius de Arte Poet.

Sic Plutarchus *de Fortuna Romanorum* Virtutem describit incessu mitem, aspectu decoram, mista cum authoritate verecundia, Heroum caterua, trophæa gestantium, stipatam. Contrà verò Fortunam, motu velocem, spe, ac fiducia ferocientem effingit, Terræ, ac Maris opes ex Amaltheæ cornu profundentem, comitante Regum, & Imperatorum sequacium corona.

Rariùs ab Oratoribus adhibentur Somatopœiæ, frequentiùs à Poetis, à quibus exempla petes. Hæc interim habeto.

PHILOSOPHIA.

Ex Seuer. Boet. de Consolat. Philos. Prosa 1.

Adstitisse mihi supra verticem visa est mulier reuerendi admodum vultus, oculis ardentibus, & vltra communem homi-

hominum *valentiam* (a) perspicacibus, colore viuido, atque inexhausti vigoris; quanuis ita æui plena foret, vt nullo modo nostræ crederetur ætatis. Statura discretionis ambiguæ; nam nunc quidem ad communem sese hominum mensuram cohibebat; nunc verò pulsare Cœlum summi verticis cacumine videbatur. Quæ, cùm caput altiùs extulisset, ipsum etiam Cœlum penetrabat, respicientiumque hominum frustrabatur intuitum. Vestes erant tenuissimis filis, subtili artificio, indissolubilique materia perfectæ, quas (vti post eadem prodente cognoui) suis manibus ipsa texuerat; quarum speciem, veluti fumosas imagines solet, caligo quædam neglectæ vetustatis obduxerat. *Paulò inferiùs ita loquens inducitur.*

Tùm verò totis in me intenta luminibus. Tu ne es ille (ait) qui nostro quondam lacte nutritus, nostris educatus alimentis in virilis animi robur euaseras? Atqui talia contuleramus arma, quæ, nisi priùs abiecisses, inuicta te firmitate tuerentur. Agnoscis ne me? quid taces? pudore, an stupore siluisti? mallem pudore; sed (vt video) stupor oppressit.

Virtutem, ac Voluptatem per So-ma-

a *Hoc est potentiam, siue aciem.*

matopœiam describit Seneca *de beata vita c.* 7. Valerius Maximus Crudelitatem *lib.* 9. *c.* 2. Tertullianus Patientiam in fine tractatus de eadem Virtute. Notissima est Virgilij Fama *lib.*4. *Æneid.*

FAMES.

Ex Ouidio lib. 8. *Metam. Fab.* 11.

Hirtus erat crinis, caua lumina, pallor in ore:
Labra incana situ, scabri rubigine dentes.
Dura cutis, per quam spectari viscera possent.
Ossa sub incuruis extabant arida lumbis.
Ventris erat pro ventre locus: pendere putares
Pectus, & à spinæ tantummodo crate teneri.
Auxerat articulos macies, genuumque tumebat
Orbis, & immodico prodibant tubere tali.

TIBERIS.

Ex Claudiano in Paneg. Olib. ac Prob.

Illi glauca nitent hirsuto lumina vultu,
Cæruleis infecta notis, reddentia patrem

Ocea-

Oceanum: crispo densantur gramine
colla.
Vertice luxuriat toto crinalis harundo,
Quam neque fas Zephiris frangi, nec sole perustam
Æstiuo candore mori; sed viuida frondet
Æquæuum complexa caput. Taurina leuantur
Cornua, temporibus raucos sudantia riuos.
Distillant per pectus aquæ: frons hispida manat
Imbribus; in liquidos fontes se barba repectit.
Palla graues humeros velat, quam neuerat vxor
Illi percurrens vitreas sub gurgite telas.

Ad Somatopœiam pertinent Poeticæ Metamorphoses, quæ mutatas rerum formas ingeniosè mentiuntur; quibus comminiscendis, ac describendis adeò excelluit Ouidius, vt non aliundè quærenda sint exempla.

His adde festiuissima Poetarum figmenta, qui velut extra se rapti Protheos agunt, in varia rerum portenta pro libito abeuntes. Procul inde Luciani, & Apulei ludentes, ac rudentes in

in Asinis. Ecce cantiunculam orditur migrans in olorem Horatius. *Lib.* 3. *Carm.*

Iam iam residunt cruribus asperæ
Pelles, & album mutor in alitem.
Supernè nascunturque læues
Per digitos, humerosque pennæ.

At si facilè Somatopœias inuenire volueris, confugies ad Iconologiam Cæsaris Ripæ, quem ducem habere poteris ad rerum formas effingendas.

DE TOPOGRAPHIA.

CAPVT QVINTVM.

TOPOGRAPHIA *est veri loci descriptio*. Desumitur à Causis, à partium Distributione, & ab Adiunctis locorum. Ita si velis Vrbem describere, spectare poteris antiquam illius originem, primosque Conditores; situm, figuram, mœnium ambitum, munimenta, vias, compita, fora, sacras, & profanas, priuatas, & publicas ædes. Præterea ciuium frequentiam, splendorem, opulentiam, merces, artes, equestrem, politicum, militaremque ordinem &c. Si Regiam describas, occurret ædificij maiestas, ad quod erigendum, ornandumque

cer-

certarunt artificum ingenia, & par materiæ pretio elegantia formæ. Percurres atria, periſtylia, conclauia, omnia ſignis, picturis, marmore, auro, gemmiſque nitentia &c. Pro deſcribendis autem ædificijs legendus Vitruuius, qui propria docebit vocabula ad Architecturam ſpectantia.

Si quæ ſunt aliæ Locorum Deſcriptiones, vel ad Topographiam referuntur, vel ad rem noſtram non pertinent; vt Geographia, & Coſmographia; illa Terram, hæc Orbem vniuerſum deſcribens, quas artium earum profeſſoribus, ac ſtudioſis relinquimus.

EXEMPLA TOPOGRAPHIÆ.

Hiſpania deſcripta, & laudata.

Ex Latino Pacato in Pan. Theod.

Tibi mater Hiſpania eſt, terris omnibus terra felicior, cui excolendæ, atque adeò ditandæ impenſiùs, quàm cæteris gentibus ſupremus ille rerum fabricator indulſit, quæ nec Auſtrinis obnoxia æſtibus, nec Arctois ſubiecta frigoribus media fouetur axis vtriuſque temperie; quæ hinc Pyreneis monti-

tibus, illinc Oceani æstibus, inde Thyrreni maris litoribus coronata naturæ solertis ingenio, velut alter orbis includitur. Adde tot egregias Ciuitates, adde culta, incultaque omnia, vel fructibus plena, vel gregibus: adde auriferorum opes fluminum, adde radiantium metalla gemmarum. Scio fabulas Poetarum auribus mulcendis repertas aliqua nonnullis gentibus attribuisse miracula, quæ dum sint vera, sint singula, nec iam excutio veritatem. Sint, vt scribitur, Gargara prouentu læta tritici, Meuania memoretur armento, Campania censeatur monte Gaurano, Lydia prædicetur amne Pactolo; dum Hispaniæ vni quidquid laudatur assurgat. Hæc durissimos milites, hæc expertissimos duces, hæc facundissimos oratores, hæc clarissimos vates parit; hæc iudicum mater, hæc Principum est. Hæc Traianum illum, hæc deinceps Hadrianum misit Imperio; huic te debet Imperium. Cedat his terris terra Cretensis, parui Iouis gloriata cunabulis, & geminis Delos reptata Numinibus, & alumno Hercule nobiles Thebæ. Fidem constare nescimus auditis: Deum dedit Hispania, quem videmus.

Postrema hæc Emphasis omninò adulatoria est ex profana vetustatis licentia,

tia, cui facillimum fuit homines consecrare. Sed Iouis, cæterorumq; inanium Deorum non maior diuinitas, quam Cæsaris.

ÆDES MAGNIFICÆ.

Ex Petro Firmiano in Gyge Gallo.

Amplissimæ erant, vt assentatorum turbam possent admittere, & maiestate ipsa testari dominorum potentiam. Porrectissimam aream, lectisque stratam lapidibus, ne quid inuenustum calcarent aduentantium vestigia, vndique cingebat magnifici operis moles: hanc æquis interuallis distinctæ, ac varij laboris trecentæ columnæ exornabant: pleniores acceperat pars humilior, vt incumbentium ordinum pondus securiùs, ac decentiùs ferrent. Neque hic se totam exhauserat artificum industria: quippe structura crescente, veluti per gradus, simul procedebat elegantissimæ domus, ad regulas artis, non ad barbaræ voluptatis gustum, ordinatissima dignitas. Lætior erat, quæ priori innitebatur, surgentis ædificij facies, & nobiliore diligentia, marmorumque frequentiori incrustatione spectabilis. Opus absoluebant lusus illi omnes in lapide, ac deliciæ artis, quas prima inuenit su-

pra cæteras Graciæ vrbes in ędium cultu Corinthus luxurians. Vbi in atrium peruenisses, duodecim eximiæ proceritatis columnæ, magno emptæ, quidquid antea stuporem fecerat, delebant ex animo. Porphyreticæ erant; ex ære capitella, & bases, intermistis Heroum statuis, quas egregia arte nobiles sua etiam commendabat antiquitas.

HORTVS.

Ex eodem in Seculi Genio.

Hortus erat in suburbijs amœnissimus, quem omni spectabilem, seu artis, seu naturæ varietate, nouus patris hæres Apollonius possidebat, studiorum consortio, & ipse nobis coniunctissimus. Illic non modò flores, qui apud nos colore, aut odoribus præstant; verùm & ex peregrinis præcipui visebantur, quos ad alieni soli patientiam adduxit nostræ ætatis diligentia. Neque minori studio vndique collectæ arbores, quotquot fructibus vtiles sunt, ex consilio in diuersa distributæ, vt non vnius partis tota esset fœcunditas. Plures tamen in viridarij ambitu muris affixæ opportuniori sole fruebantur, & fructuum maturescentium colore prouecto

uecto ad præsentiorem voluptatem inuitabant intuentes. Non molles ex fronde porticus, non statuæ dispensatis per fistulas aquis manantes, pulcherrimo loco deerant; non in multos passus ambulationes productæ, non deniq; ad solitudinem inter densissimas arbores furtiui recessus: vt siue confabulari velles, siue extra conspectum spatiari, necessarijs curis sine teste intentior, dissimilis voluptas iucundissima successione afficeret diuersa cupientem.

AMOENISSIMÆ REGIONIS PROSPECTVS.

Ex Io: Barclaio in Icone Animorum.

Ingens planities aliquot suspensa colliculis, rursus montes in orbem effusi neque citò castigabant oculos, neque illos per immensum Cœlum spargebant. Tamesis lætissima vbertate in viciniam exundat, & ad radices montis redeuntibus in gyrum fluctibus insulam penè molitur. Passim toto alueo naues, & omnis generis onerariæ: vt proximas quidem totas aspicerem, cæterùm longiùs stantes, aut sub altiori ripa, ex malis antennisque, tanquam nudam, & brumalem syluam cognosce-

scerem. Nihil illa plaga viridius. Pascuorum vtilitas eam frugibus abstulit; & vix alibi felicior in gramina terrarum luxuries. Priuatorum quoque fundos de more patrio perpetuæ fossæ, & pleræque in marginibus arbores sepiunt. Maximè vias publicas altissimæ populi à lateribus tuentur, vt de monte despicienti perpetua facies hortorum videatur, saltuumue factorum ad ambulationis voluptatem. Præcipua est tam varia viriditas, penè in diuersos colores distributa. Nam quæ longiùs absunt, velut cærula incumbentis Cœli facies opacat: propiora densiore fronde in arboribus nigra sunt, vel humi tenui herbarum virore nitentia. Sed pulcherrimum spectaculum præbebat ipsa Vrbs, inter eximias Europæ celebrata, Londinum, innumeris domibus vix tamen populi sui capax. Quippe ad alteram Tamesis ripam latè effusum est, vicinisque annexum Oppidis, & penè continua ædificia per quatuor milliaria protendens. Per hoc spatium non priuatæ tantum domus, sed fana crebro fastigio eminent, & media Ciuitas tanquam vmbone, ita præcipui templi mole distincta est.

Plinius iunior l. 4. epist. 17. Laurentinum villam suam exactissimè describit: aliam in ora Tuscorum l. 5. ep. 7.

Q. Cur-

Q. Curtius steriles Ægypti solitudines l. 4. Felicem Arabiam l. 5. paulò inferiùs Babyloniam, illiusque pensiles hortos.

DE TOPOTHESIA.

CAPVT SEXTVM.

TOPOTHESIA *est ficti loci descriptio*. Hæc tantùm ad Fabulatores pertinet, ac Poetas, quibus mira felicitas est, nulli visa tecta, templa, & arces, moliendi; nouas etiam inueniendi plagas, nulli notas Columbo. Eadem ratione, qua Topographia, tractatur; immò tantò magis excellit, quantò magis effingit similia veris. Lucianus Somniorum Insulam excogitauit, ibique Vrbem, & Regiam Somni, *lib. 2. Verarum Narrationum*. At eiusdem domum elegantissimè describit Ouidius *lib. 11. Metam. fab. 9.*

Est propè Cimmerios longo spelunca recessu,
Mons cauus, ignaui domus, & penetralia somni:
Quò nunquam radijs oriens, mediusue, cadensue
Phœbus adire potest. Nebulæ caligine mistæ
Exhalantur humo, dubiæque crepuscula lucis.

Non vigil ales ibi cristati cantibus oris
Euocat Auroram, nec voce silentia rumpunt
Solicitiue canes, canibusue sagacior Anser;
Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,
Humanæ ve sonum reddunt conuitia linguæ.
Muta quies habitat. Saxo tamen exit ab imo
Riuus aquæ Lethes, per quem cum murmure labens
Inuitat somnos crepitantibus vnda lapillis.
Ante fores antri fœcunda papauera florent,
Innumeræque herbæ, quarum de lacte soporem
Nox legit, & spargit per opacas humida terras.
Ianua, ne verso stridorem cardine reddat,
Nulla domo tota est; custos in limine nullus.
At medio thorus est hebeno sublimis in antro,
Plumeus, vnicolor, pullo velamine tectus,
Quo cubat ipse Deus membris languore solutis.

Hunc

Hunc circa passim varias imitantia formas,
Somnia vana iacent, totidem quot messis aristas,
Sylua gerit frondes, eiectat litus arenas.

Simile est somni Antrum apud Statium *lib.* 10. *Thebaidos*. Famæ domum adire si libeat, dux erit Ouidius *lib.* 12. *Metam. Fab.* 2. idem fugiendum Inuidiæ tectum ostendet *lib.* 2. *Fab.* 12. si malis Regiam Solis inuisere, illam statim aperit *initio lib.* 2. Ad inania ditis Regna, hinc in Elysios campos te deducet Virgilius *lib.* 6. *Æneidos*.

Claudianus ad Speluncam Temporis *Paneg.* 2. *de laudibus Stiliconis*. Tandem quoties per ignota loca mente peregrinari volueris, lege Poetas.

DE CHRONOGRAPHIA.

CAPVT SEPTIMVM.

CHRONOGRAPHIA *est Descriptio temporum*; vt Noctis, Auroræ, Hyemis, Æstatis, Adolescentiæ, Virilitatis &c.

Describuntur Tempora per eorum Adiuncta, præcedentia, concomitantia, subsequentia, & per effecta. Si Veris ex. gr. Descriptio habenda sit, ref-

picies primò præcedentia, elapsæ nuper hyemis horrorem, inclementiam cæli, squalorem aruorum; concreta gelu flumina, fœdos imbres, algidas pruinas, congestas niuibus niues, naturam omnem veluti senio confectam; quæ mæroris argumenta euanescunt, vbi primùm serenam frontem exporrigit suauissima hæc anni iuuentus. Hinc ad concomitantia descendes; afflantes iam mitiores auras, dies puriori luce fulgentes, liquida fluentes vnda riuulos, pictas flosculis hortorum areolas, luxuriantia virenti gramine prata, syluasque amœnissima frondium vmbracula explicantes. His adde subsequentia; communem viuentium lætitiam, spes agricolarum excitatas, & datam colendis aruis alacriùs operam; cùm feliciter vernans annus largiorem messem promittit, fœcundæ iam Æstati, ac diuiti præludens Autumno, agrestiumque labores futuræ vbertatis expectatione solatur.

Sin verò Descriptionem ducere malis ab effectis, illa eadem Veri tanquam causæ adscribes, dicendo: meliorem hanc Anni partem detersa hyemis tristitia squalentem instaurare naturam, serenitatem, ac amœnitatem reuocare, soluere gelida compede fluuios, arua floribus colorare, vestire gramine pra-

ta, frondibus arbores; ad argutissimos concentus prouocare canoras aues, & omne animantium genus exhilarare. Ita paucis Horatius.

Diffugere niues, redeunt iam gramina campis,
Arboribusque comæ.
Mutat terra vices, & decrescentia ripas
Flumina prætereunt.

Plerunque Chronographia cum alijs Descriptionibus miscetur. Et humanarum quidem Ætatum Descriptio Æthopœiam ferè inuoluit. En exempla.

ADOLESCENTIA.

Ex D. Ambrosio de Interp. S. Iob. l. p. cap. 7.

Hæc ætas magis ad vitium lubrica esse consueuit. Habet enim pueritia innocentiam, senectus prudentiam, ipsa vicina adolescentiæ iuuentus bonæ existimationis intuitum, & verecundiam delinquendi. Adolescentia sola est inualida viribus, infirma consilijs, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa delicijs.

VIRILITAS.

Ex Io: Barcl. in Icone Animorum cap. 1.

Excipit Iuuentutem stata ætas, ac virilis, media inter adolescentiæ præcipitia, pondusque senectutis. In hac adeò cum animo corpus viget, vt tunc demum verè hominem credideris, datamque in illorum annorum gratiam, quantacunque est mortalibus, vitam. Hic ingens corporum, & animorum mutatio; vt ciborum plerunque, ac voluptatum alius tunc delectus, ita mores alij, & in nouum efformatæ cupiditates. Robustus animus, & veluti ab adolescentiæ caligine emissus primùm solet de anteactis erroribus atroci censura iudicare, mirarique se tam improuidè potuisse peccare. Illinc statim vtilitas pœnitentiæ, & ruinas, quas iuuentus fecerat, emendantis sedulitas. Opum, honorumque præcipuus amor est, & quasi nunquam de vita decessuri, ita auidè ad illam subsidium, & ornamenta quærunt. Simulare amicitias, suisque desiderijs imperare non alij magis sciunt. Veram quoque fortitudinem habent, castigato impetu, neque extincto, quo ad iram, vindictamque adolescentia feruebat. Tunc demum

vis

vis integra, solerſque iudicij, non incitata torrente iuuentutis, non feſſi corporis ægritudine laborans. Cauta illis vitia, ac plerunque nec Virtutem ſine præmio colunt.

At cùm Temporis partes frequentiſſimè deſcribantur minùs frequens occurret ipſius Temporis deſcriptio; nec tam facilè illius natura exprimi poteſt. Sinuoſum hoc tamen, lubricumque monſtrum, & ænigmati ſimile quoquo modo adumbrare conemur.

Tempus.

O Tempus tam vitæ noſtręintimum, tam idem infeſtum; tam præſens, tam fugax, tam labile, tam indefeſſum; rerum intereuntium parens idem, & decoctor, vorax citra fabulam Saturnus, qui quæ gignis abſumis; cuius edacitatem nec ſubiecta dentibus marmora, vel deludunt, vel ſatiant. Quid vnquam hoc tempus eſt in tot partes diuiſum, quarum primæ nunquam rediture ceſſerunt, ſuccedentes in incerto futuri latent, præſentes notari vix poſſunt, cùm iam deſinant eſſe, cùm primùm eſſe dicuntur? Hoc tamen quidquid eſt fugitiuum, & anceps operoſa dimenſione ſecamus in horas, partimur in dies, diſtribuimus in menſes, digerimus in annos, extendimus in ætates di-

latamus in secula. Sed hoc idem, quod tam longè, latèque diffundimus, quàm breuem sui nobis permittit vsuram? Si totam illius summam colligas, tot subductis rationibus, an quidquam tibi superest, quàm præceps momentum? Et metiri fortasse illud poterit humana solertia, nunquam morari. Clepsammidijs, Clepsydrisque inclusum cum puluere labitur, fluit cùm vndis: Sciaterico stylo affixum euanescit cum vmbris, machinis illigatum vibratur cum rotis; nullusque adhuc Archimedes funibus, libramentis, ponderibus fugientis velocitatem retardauit. Age nouus Iosue refræna Solis equos, & cælestium orbium vertiginem siste, vt aliquam tempori moram inijcias. Mira loquimur, & naturæ viribus negata. Sola Virtus illius fugam, si non cohibet, occupat, & per momenta dilabens arripere festinat ad beatæ meritum æternitatis.

Prolixiorem aliam Temporis Descriptionem faciliùs desumes ab eiusdem effectis. Qùis enim ignorat rerum humanarum vices, & clausam temporis finibus mortalium vitam, & euersas moles, vrbesque solo æquatas, & mutata Imperia, vixque superstitem magnarum rerum memoriam? omitto notissima similia, sagittas, vndas, auram,
fu-

fumum, quibus illius velocitas, leuitasque signatur. Et ne semper iniquum nobis Tempus accusemus, verti potest in illius laudem Descriptio, si quæ affert bona recenseantur. Nempe hoc idem maxima quæque sensim perficit, lenit aspera, meliora reducit, Virtutem, & Veritatem persæpe latebris mersas euocat in lucem &c. De his plura Ouidius *lib.* 4. *de Tristibus eleg.* 5.

Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri,
Præbet & incuruo colla premenda iugo &c.

Alia quoque ratione Tempus describere poteris, illius formam effingendo, sed exprimendis eiusdem proprietatibus, & effectis accommodatam; quanuis Chronographia tunc in Somatopœiam vertetur; qualis hæc esset ad Pictorum fermè ingenium descripta.

Temporis imago.

Longæuus hispidusque Senex discissum marmor insederat, nobilis ruinæ fragmentum, Egregij operis basis fuisse videbatur, magnis nominibus inscripta, quorum corruptis characteribus damna testabatur annorum; maculoso prætereà situ, muscoque deformis. Ille tetrico, demissoque vultu sparsa rudera, fractisque fascibus confusas ligonibus secures fastidioso supercilio spectabat.

bat. Promissæ barbæ, crinisque canities, & frontis asperitas, & oculorum recessus, & pendentium genarum liuor, & retorrida cutis, totiusque corporis macies eam referebant ætatem, quæ filium habere Nestorem posset, quanquam in siccis, neruosisque membris tantum adhuc virium, vt prostrata Heroum cadauera superbo pede calcaret. Toto corpore syluescentes villi, & prominentes ex humeris grandiores alæ mixtum ex fera, & volucre monstrum effecerant. Dextra quasi vibrandam falcem erexerat, nec eam, vel ætatis rubigine hebescentem, vel vsu detritam, sed integra, nitidaque acie minantem. Sinistram in subiectum horologium deflexerat; & ne quis ambigere posset de schemate, porrecto indice legendam in saxo epigraphem ostendebat, ita semesam, vt hemistichium superesset e carmine

Tempus edax rerum.

AVTVMNVS IN HYEMEM VERGENS.

Ex Seneca in Apocol. Claudij.

Iam Phœbus breuiore via contraxerat ortum
Lucis, & obscuri crescebant tempora somni:

Iamq;

Iamq; suum victrix augebat Cynthia
regnum ;
Et deformis hyems gratos carpebat
honores
Diuitis Autumni, visoque senescere
Baccho
Carpebat raras serus vindemitor
vuas.

Auroræ, Vesperi, Noctis, aliorumq; Temporum Descriptiones, vel nolenti Poetæ obtrudent; quorum aliquos irridet Seneca, earum Descriptionum oneri libentiùs acquiescentes, vt non contenti Ortus,& Occasus describere, etiam medium diem inquietent.

DE PRAGMATOGRAPHIA.

CAPVT OCTAVVM.

P*RAGMATOGRAPHIA est rei, seu facti descriptio*; cùm scilicet id, quod factum fuit, aut fit, siue factum, faciendumue fingimus, ita omnibus coloribus pingimus, vt iam Auditorem, Lectoremue in theatrum traxisse videamur. (a) Alij hanc Speciem Descriptionis propriè Hypotyposim vocari malunt, Latinè Demonstrationem.

Neque solùm hominum facta Pragmatographia describit; vt bella, trium-

a *Carbo l.* 1. *de.eloc. disp.* 24., *& lib.*4. *disp.*7. *Rhetor Galli lib.* 3. *c.*28.

phos, conuiuia; sed & actiones, quæ fiunt à cæteris causis, vel animatis; vt belluarum ludos, & certamina; vel inanimatis; vt alluuiones, procellas, terræmotus, incendia. Describuntur huiusmodi actiones per explicationem Circunstantium, per Distributionem, & per Adiuncta illa omnia, quæ numerauimus in Facti Amplificatione.

Præter actiones causarum, ea quoque describimus, quæ ab iisdem causis producuntur; siue Naturæ sint, vt flores, marmora, metalla, gemmæ, idque genus alia, anima, vel sensu carentia; siue sint Artis opera, vt simulacra, picturæ, aulæa, vasa, toreumata, bellicæ machinæ &c. In his describendis plurimùm valent Loci à Partium enumeratione, ab Adiunctis, à Genere, & Specie, & à Causis. At nihil æquè proderit, ac nosse rerum proprietates, & vsus; adde (quod ante monui) Latinas voces, singulis explicandis accommodatas. Vtilis erit postremus vocabulorum Index Onomasticæ Amaltheæ, ac Thesauro linguæ Latinæ adiectus; & (si liceat) Nomenclator Octilinguis, omnium rerum propria nomina continens, digesta in classes, ab Authore damnati nominis olim collectus.

Harum omnium Descriptionum ad Pragmatographiam spectantium aliqua sub-

subdam exempla. Cæterùm quascunque earum formas indagare, pluribusque singulas explicare exemplis immensi operis esset. Pro describendis futuris vide, quæ habes in figura Ominationis, & in loco à Consequentibus.

ACTIONES HOMINVM.
PVGNA.
Ex Latino Pacato in Pan. Theod.

Ecce lux tandem: omnis campus horrebat. Diuisi in cornua equites, leues ante signa velites, dispositæ manipulatim cohortes, & gradu pleno ferentes agmina legiones vniuersa latè quà visus agi poterat, occuparant. Nondum se virtus experiebatur: iam disciplina vincebat. At postquam intra coniectum teli acies vtraque promouit, & effusis hinc inde sagittarum nimbis res venit ad capulos; milites pristinæ virtutis, Romani nominis, Imperatorum denique memores causam publicam manu agere: hostes venditam operam, laceratam Italiam, spem in ferro reliquam cogitantes, gladiatoria desperatione pugnare, nec gradu cedere, sed vestigio stare, vel cadere. At vbi impulsa acies, fronsque laxata, & fiducia in pedes versa est, ire præcipites, aut glomerando fugere, & se inuicem festi-

nando

nando tardare: armati, inermes, integri, saucij, primi, postremique misceri: miles vrgere, eminus, cominus, gladijs, hastis punctim, cæsim ferire: alij poplitibus imminere, alij terga configere, aut quos cursu non poterant continere, iaculis occupare: arma, telaque, homines vita perempta, prona, supinaque corpora passim vel in aceruo iacere. Illi inutilibus, excisisque membris reliqua sui parte fugiebant: hi dolorem vulnerum sequebantur: isti mortes receptas in syluas, & flumina deferebant: illi postremum spiritum in admiratione nominis tui, & sui ducis detestatione fundebant. Nullus finis cædendi, insequendique, nisi subtraxisset aliquando victoribus mors hostem, & nox diem.

PVBLICA LÆTITIA PRINCIPE VRBEM INGREDIENTE
Ex eodem.

Nec pia hac mora cunctatiùs, vbi te affore nuntiatum, impulsis effusa portis *Ciuitas*, obuiam præuolauit, & vt est omne desiderium post spem impatientius, parùm credens patere venienti, festinauit occursare venturo. Fingit quidem, vt scimus, timor gaudium; sed ita intimos mentis affectus proditor vultus enuntiat, vt in speculo frontium

imago

imago extet animorum. Velut illa ciuitas à longa obsidione respirans, quòd eam Tyrannus Alpibus obiacentem, tanquam belli limen attriuerat, tanta se, & tam simplici exultatione iactabat; vt inesse vera lætitia nimia videretur. Ferebant se obuiæ tripudiantium cateruæ: cuncta cantu, & crotalis personabant. Hic tibi triumphum chorus, ille contra Tyranno funebres Nænias, & carmen exequiale dicebat: hic perpetuum victis abitum, ille victoribus crebrum optabat aduentum. Iam quocunque tulisses gradum, sequi, circuncursare, præcedere, vias denique, quibus ferebaris, obstruere; nullus cuiquam sui, tuiue respectus blandam tibi faciebat iniuriam. Quid ego referam pro mœnibus suis festum liberæ nobilitatis occursum? conspicuos veste niuea Senatores? reuerendos municipali purpura Flamines? insignes apicibus Sacerdote? Quid portas virentibus sertis coronatas? quid aulæis radiantes plateas, accensisque funalibus auctum diem? quid effusam in publicum turbam domorum, gratulantes annis senes, pueros tibi longam seruitutem vouentes, matres lætas, virginesque securas?

CONVIVIVM.

Ex Petro Firmiano in Gyge Gallo.

Abacum argentea supellex onerauerat, operosæque celaturæ, ac variæ capacitatis vasa, haud ipsi conuiuio necessaria proferebantur ad spectaculum. Ministrorum grex, escarum præfecto præeunte, non sine strepitu in voluptatis præludium primos cibos attulere; & iusculorum odore triclinium repletum est. Inter conuiuantes modicum primò silentium fuit; & vix epulis sua condimenta addere hilaritas incœperat, cùm ad lautiores cibos prima mensa sublata est. Alteram auium strues ita repleuerant, vt etiam impedirent; nec pullorum iusta ætas expectabatur: ex ipsa penè matre educti immatura morte festinantem gulam incusabant, quòd ad promerendos sapores patientia defecisset. Sed in istis nouitas, & pretium placebant, non gustus; mensæque laus ingens erat, eorum, quæ nondum ad edentium commodum creuerant, obtulisse primitias inutiles. Succi succis additi, boletorumque aduocata in palati solatium dulcis pernicies, ita naturam per omnia corruperant, vt se ipsa non agnosceret.

sceret. Nouum vanitatis ostentum! sibi gula pyramides erexerat, à quibus tamen abstinere cogebatur, stomacho tot voluptatibus impare; vt solis penè oculis videretur conuiuium exhiberi. Ad triplices mensas nondum erubescebat superbia: otiosis iam dentibus quarta data est; & luxu crescente, nihil, quod ederent conuiuæ, sed solùm, quod spectarent, habebant.

FVNVS VIRGINIS.

Ex eodem.

Procedunt ferales exequiæ, & præmissis, qui virga, & voce submouerent immodicè curiosos; statim vt se scindi tulit confertum vulgus, quà patebat via, triginta virgines opertis vultibus in candida veste templum subeunt: singulis sua fax, quam & circunducti flores ornabant in symbolum pudoris; æqualibus spatijs diuidebantur ad longiorem pompam in incessu grauissimæ. Funebres puellas sequebatur Sacerdotum numerus ingens; hos proximè funus ipsum, in capsa exhibitum cunctis, virginis corpus pretiosissimis induerant. Capilli de more nubentium sparsi vltimo ancillarum officio discriminabantur in annulos, & quia breuis

ægri-

ægritudo puellares genas non exhauserat, sub ipso pallore ita formam seruauerat vultus; vt mouere lacrymas vel crudelissimis posset, & etiam post fata placere spectantibus.

Patrem, & procum pari gressu sequebatur nobilis affinitas: amplior amicorum numerus, maximèque eorum, qui communiori charitate, nec atrata veste lugubres, tamen sub modesto cultu pompam auxerant. Silentes hos, binosque suis incedentes lineis, subito tumultu excipiebat virorum, ac mulierum promiscua multitudo, ex vulgi genio, ipsiusque funeris conspectu, ne acerbissimæ sorti viderentur denegasse suos gemitus, intemperanter clamantium.

Facta oratorio stylo fusè descripta vide inferiùs in tractatu de Narratione.

ACTIONES ANIMANTIVM RATIONE CARENTIVM.

Formicarum labores.

Ex D. Hier. in vita Malchi.

Aspicio formicarum gregem angusto calle feruere, ferre onera maiora, quàm corpora. Aliæ herbarum quædam semina forcipe oris trahebant,

aliæ

aliæ egerebant humum de foueis, & aquarum meatus aggeribus excludebant. Illæ venturæ hyemis memores, ne madefacta humus in herbam horrea verteret, illata semina præcidebant. Hæ luctu celebri defuncta corpora deportabant; quodque magis mirum est, in tanto agmine egrediens non obstabat intranti; quin potiùs, si quam vidissent sub fascis onere concidisse, suppositis humeris adiuuabant. *Vide Plinium l.* 11. *cap.* 30. *historia nat.*

LVSCINIARVM CANTVS, EIVSQVE STVDIVM, ET ÆMVLATIO.



Ex Plin. l. 10. *hist. nat. c.* 29.

Luscinijs diebus, ac noctibus continuis quindecim garrulus sine intermissu cantus, densante se frondium germine, non in nouissimum digna miratu aue. Primùm tanta vox tam paruo in corpusculo, tam pertinax spiritus. Deinde in vna perfecta musicæ scientia modulatus editur sonus; & nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto, promittitur reuocato, & infuscatur ex inopinato: interdum & secum ipse murmurat;

ple-

plenus, grauis, acutus, creber, extentus, vbi visum est, vibrans, summus, medius, imus. Breuiterque omnia tam paruulis in faucibus, quæ tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitauit: vt non sit dubium, hanc suauitatem præmonstratam efficaci auspicio, cùm in ore Stesichori cecinit infantis. Ac ne quis dubitet artis esse, plures singulis sunt cantus; nec iidem omnibus, sed sui cuique. Certant inter se, palamque animosa contentio est. Victa morte finit sæpe vitam, spiritu priùs defficiente, quàm cantu. Meditantur aliæ iuniores, versusque, quos imitentur, accipiunt. Audit discipula intentione magna, & reddit: vicibus reticent. Intelligitur emendatæ correctio, & in docente quædam reprehensio.

Plures huiusmodi Descriptiones sufficiet idem Plinius, vt Aranei texentis telam, Bombicis, Culicis, Apum; quarum etiam operosam vitam describit egregiè Quintilianus Declamatione 13. circà finem.



AC-

ACTIONES CAVSARVM NATVRALIVM INANIMARVM.

Tempestas.

Ex Io: Barclai Argenid. l. 4.

Nox media vertebatur, cùm à montibus ventus exortus est, qui inter nauium funes erectos ad malum primùm quidem sibilo ludens, mox suspensum mare extulit, adductisque nubibus abstulit cælum. Turbabantur subita festinatione nautarum officia, simul inter se clamore sublato simul vndis fracto strepitu nondum vacuas aures repetentibus.

Atri fluctus, aut eruto liuentes sabulo, inter noctis horrorem cerni non poterant; nisi cùm ingenti fragore allisi velut accensam mutuo verbere aquam instar scintillarum mittebant in altum, rursuque sorbebant. Solus ille spumæ attritus micabat in tenebris, qui sæpe ominoso impetu superans obiecta latera in medio fulgebat nauigio. Intuta anchorarum mora erat, quia spatium nauibus negabant, quo aliquid indulgerent incumbentibus ventis. Alius deinde timor vrgebat, ne si vincula deessent, inter se implicatæ triremes fran-

frangerentur. Tandem omne nautarum consilium tempestas præuertit; Nam nec corrigi cursus poterat, nec sisti nauigia. Ferri cœperunt, quà ventus iubebat; aliquid scilicet veli relinquentes ad antennam, quo naues per dispares fluctus librantibus ventis starent.

Similem apud Q. Curtium Tempestatis descriptionem inuenies lib. 4.

FLVMINIS EXVNDATIO.

Ex Plinio iuniori epist. 17. lib. 8.

Tiberis alueum excessit, & demissioribus ripis altè superfunditur. Quanquam fossa, quam prouidentissimus Imperator fecit, exhaustus premit valles, innatat campis, quàque planum solum, pro solo cernitur; inde quæ solet flumina accipere, & permista deuchere, velut obuius retrò cogit, atque ita alienis aquis operit agros, quos ipse non tangit. Annio delicatissimus amnium, ideoque adiacentibus villis velut inuitatus, retentusque magna ex parte, nemora, quibus inumbratur & fregit, & rapuit: subruit montes, & decidentium mole pluribus locis clausus, dum admissum iter quærit, impulit tecta, ac se super ruinas euexit, atque extulit.

Vi-

Viderunt hi, quos excelsioribus terris illa tempestas non deprehendit, alibi diuitum apparatus, & grauem supellectilem, alibi instrumenta ruris: ibi boues, aratra, rectores: hic soluta, & libera armenta; atque inter hæc arborum truncos, aut villarum trabes, atque culmina, variè, latèque fluitantia.

OPERA NATVRÆ SENSV CARENTIA.

Magnes.

Obscurus hic, & prima fronte gregarius lapis cum nobilioribus gemmis de dignitate contendit, nosque docet iustam rerum æstimationem non esse ab exteriori specie sumendam. Rudis, opacus, ferrugineus, nihil intuentibus præfert, quod oculos mulceat, aut solicitet luxum. Non illum pellucidus fulgor, non amœnitas colorum, non felices maculæ commendant: intus pretium habet, miris naturæ muneribus diues. Quàm enim mira est vis illa, qua fortissimum metallorum in suos trahit amplexus? An, vt in frigido scilice latuit ignis, inditus magneti amor furtiuas inde faces iaculatur in ferrum? an ferro Martis ingenium est, suamque Venerem hìc sentit: quis poten-

tentibus adeò philtris lapidem imbuit, vt rigidam eam duritiem, & (a) *domitricem omnium materiam* domet? vnde tam præsens illicium, vt oblitus ferociæ suæ chalybs mitescat, & posito natiuo pondere volet in sinum amantis? qua nunc flamma calet contumax in validissimos etiam ignes, vt statim obsequatur solo inuitatus aspectu? Neque tantùm animari videtur ad motum, vt festinanter accurrat, sed etiam ad sensum, vt fruatur suauissimo tenentis consortio, constantissimè adhærens, ac suspendium pati malit, quàm diuelli. At illud multò præstantiùs, fusco lapidi, qui ex ima tellure defoditur, tantam esse cognationem cum cælo, assiduumque commercium; quippe memor, vnde virtutem hauriat, se ad suum geniale sidus inuiolata fide conuertit. Mirentur alij Heliotropium, Lupinum, ac Loton circumagi cum Sole, quasi valde mirandum sit, à validissimi luminis calore mollia gramina inflecti. Quin potiùs miramur, durum lapidem, ac tam longè semotum, inter tot luces vnam distinguere, à Boreali vsque cardine micantem, quam singulariter amet? Immò, vt suos in eam geminet amores, impertit ferro; atque vt scias quantùm intus

a *Plin. hist. nat. l.* 36. *c.* 16.

intus ardeat glaciali sidere, solo contactu algenti metallo insinuat. Quot ferreas acus attigit Magnes, vno velut afflatas instinctu, tot amantes in eundem scopum sagittas intendit. Quanta inde humanis rebus vtilitas, siue diuidendæ sint Cœli plagæ, siue describendæ terrarum regiones, siue definienda horarum spatia, seu per immensum errantibus æquor sit certus ad destinata litora trames inueniendus? Cùm altissimo iactaris Oceano, vbi *nil nisi pontus & aer*, erudita Magnetis attritu acicula nautis magistra est. Quanuis fluctuet inter æstuantes vndas nauigium, quanuis inclusa pyxide sui sideris conspectum pertinaciter quærit; cuius indicio docet, qui perflent venti; quæ à læua, quæ à dextra Syrtes, cautesue subsideant; quæ quantum insulæ distent; quæ in proximo continens; quò prora vertenda; vbi portus quærendus; denique muta ligula tibi totam nauigationem edisserit. Hæc priscis ignota seculis virtus tot recentioribus attulit rei nauticæ compendia, vt vel hac vna inelegans alioqui lapis gemmas omnes obscuret. Hunc itaque meritò Sideriten appellant; hoc est (vt ego interpretor) planè Sidereum, quasi deriuatum ab astris; & si liceat cum Poetis fabulari, qui pendula Cœlo

O flu-

flumina affixere, de superi Erydani glareis ad artium præsidium, ad humani generis commoda, in terras demissum.

Eiusdem Magnetis poeticam descriptionem elegantissimam vide apud Claudianum.

FERRVM.

Ex Plin. lib. 33. cap. 14.

Proximè indicari debent metalla ferri, optimo, pessimoque vitæ instrumento. Siquidem hoc tellurem scindimus, serimus arbusta, ponimus pomaria, vites squalore deciso annis omnibus cogimus iuuenescere. Hoc extruimus tecta, cædimus saxa, omnesq; ad alios vsus ferro vtimur. Sed eodem ad bella, cædes, latrocinia, non cominùs solum, sed etiam missili, volucrique nuno tormentis excusso, nunc lacertis, nunc verò pennato; quam sceleratissimam humani ingenij fraudem arbitror. Si quidem vt ocyus mors perueniret ad hominem, alitem illam fecimus, pennasq; ferro dedimus. Quamobrem culpa eius non naturę fiat accepta.

Lapidum, gemmarum, metallorum descriptiones plurimas occurrent, si Plinianæ Historiæ Indicem percurras.

MA-

MALVM PVNICVM.

Non vnum habes in malo punico fructum. Tot intus refertum granis aut oporotheca est, aut cellarium, inclusō locuples Autumno. Asper, durusque cortex prasino colore, subrubente interdum coccino, in globum tumet; sed postrema parte desinit in acuminatam coronam, quasi Regnum inter poma designet. Vbi sensim maturitas accessit, suæ plerunque opulentiæ non capax, dehiscit in partes, aperitque latentem in sinu thesaurum. Purpureos acinos confertim densatos tenuis membrana distinguit, quibus ex dulci, & acido gratissimus sapor; nec parcus, quanuis duriore intus nucleo, succus; vt profuturum efflictim sitientibus ægris vinum satis abundè sufficiant. Cæterùm vbi discisso cortice patuit ille tot rubentium granorum aceruus, quædam gemmarum species oculos tenet, arboris felicitatem mirantes, quæ tot amethistos gignit, ac pyropos: vt natiuis diuitijs luculentiùs affluat pomum, quas tanto labore inquirit auiditas humana.

****

GRANADILLA FLOS INDICVS.

Apagite hortorum fabulosa portenta (a) *Flores inscripti nomina Regum*. Aris, quàm profanis areolis digniorem flosculum India dedit, æterni Regis hieroglyphico insignitum. Quid ni sacrum verè Symbolum Granadillam vocem, quæ cruciati pro nobis Dei memoriam mysticis foliorum notis describit, amœna pietate florentem? Calycem in albentem calathum expandit, amethistinis fimbrijs coronatum, è cuius vmbilico attollitur trophæum diuini doloris. Hic & marmoreæ columnæ scapum, & pendentia hinc inde flagella, rubentesque plagas, & inspersum sanguine spineum sertum, & ferrugineos clauos, harundinem, lanceam, Crucem, totam denique miraberis, vno flore collectam, supellectilem pœnarum, quas exhausit amantissimus hominum Deus. Quis quæso folia tam mirabili arte in tot instrumenta colorauit, ac flexit? Quo semine natum putem hoc pium germen, qua satum manu, quo primùm solo exceptum? Quis mihi memorat Aiaces, & Narcisos, & Lilia, Iunonis lacte progenita? Granadillam, vel beatorum

misit

a *Virg. eccl. 3.*

misit Elysium, vel irrigatus olim Cælestis agricolæ sudoribus hortus nouo didicit florere mysterio, vel Iesu languentis osculo erudita tellus istud enixa est angoris Emblemma. Certè voluit artifex rerum, vt immemores animos excitaret, extrema illa sui amoris argumenta vel inter olera virere. Ecce delicate humuncio, qui rigidam Crucem auersaris, illam Deus tuis delicijs inserit in flore vernantem. Confere tibi ad imaginem pristinæ felicitatis amœnissimum Paradisum: vt ex ipso voluptatis loco ad suas pœnas auocet mentem, tibi pingit in Granadilla Caluarium. Fruere luxurianti hortorum pompa: lege violas, cape rosas; suæ

Ipse iubet mortis te meminisse Deus. Martial. l.2. ep. 42.

Quanuis Granadillæ flosculi non semper omnia illa referant instrumenta, deficiente plerunque Cruce, vt notat P. Ferrarius de cultura florum lib. 2. cap. 11. inuenti sunt tamen, qui totum explicant postremi etiam doloris apparatum.



ARTIS OPERA.

ÆREVM SIGNVM.

Ex Plin. iuniori epist. 6. lib. 3.

Ex hæreditate, quæ mihi obuenit emi proximè Corinthium signum, modicum, quidem, sed festiuum, & expressum, quantùm ego sapio, qui fortasse in omni re, in hac certè per quam exiguum sapio. Hoc tamen signum ego quoque intelligo; est enim nudum, nec aut vitia, si qua sunt, cælat, aut laudes parum ostentat. Effingit senem stantem: ossa, musculi, nerui, venæ, rugæ etiam, vt spirantis apparent. Rari, & cedentes capilli, lata frons, contracta facies, exile collum: pendent lacerti, papillæ iacent, recessit venter. A tergo quoque eadem ætas; vt à tergo æs ipsum, quantum verus color indicat, vetus, & antiquum. Talia denique omnia, vt possint artificum etiam oculos tenere, delectare imperitorum; quod me quanuis tirunculum solicitauit ad emendum.

AVTOMATA,

Seu mobiles icunculæ.

Quid non assequitur humanæ artis industria? Non vnius Promethei laus

est

est æmulari naturæ ingenium., nec solùm absolutissima membrorum omnium periodis corpora formare, sed motum etiam, aliaque vitæ munera impertiri. Vidi nuper festiuissimum recentioris Callicratidis opus; in quo tam scitè ludebant oscilla, vt sensum habere viderentur, ac mentem. In armarioli speciem modicum pegma surgebat, vndique inferiùs clausum, quo tegebantur intimæ artis arcana. Supernè theatrum pandebatur, lucida septum crystallo, vt spectantium oculis peruium curiosas manus arceret. Planitiem referebat desinentem in syluam, sed herbidum in medio tumulum, in quo sederat Orpheus admota pectori lyra. Circa illum Satyri, Fauni, Syluestres Nymphæ, agrestesque Dij, suo cultu insignes. In postrema pegmatis parte rimula clauim admittebat, qua dispofita intus machinamenta intendebantur: hæc amoto deinde retinaculo laxata Chorum artifici rotatu regebant. Excutiebat protinus otium ligneus lyristes, motoque plectro circunstantem eam panegyrim, quasi pendentem à fidibus, ad saltationem agebat. Et verissimus quidem sonus audiebatur, certa lege modulatus: nam & musicam fecerat machinam faber, denticulatis per interualla rotarum

axiculis, ærea fila, intus variè distenta pulsantibus. Nec minori arte fictitij saltatores mouebantur ad numerum; vt iam intueri liceret fabulosa Thraciæ lyræ portenta. Nunc orbem lentè metiri, ac remetiri; nunc citatiùs vrgere choream; modò cessante fidicine abrumpere; modò innouata modulatione instaurare, mutatisque attemperare cantiunculis, velut earum metrum, vicesque sentirent. Exibant interim delinitæ concentu ex intimo nemore feræ, atque è summis arborum ramis delapsuræ iam volucres alas explicabant. Mira quælibet de Orpheo vestro fingite Poetarum ingenia. Quantùm inanibus figmentis antecellit mirabile artis inuentum?

SCRIPTORIVS PLVTEVS SIGNIS ORNATVS.

Dignus nobili Musæo pluteus erat, ex ebano, & ebore tessellatus. Ærea signa, superinducto auro, sed magis arte pretiosa, scriptorium instrumentum elegantissimo schemate continebant. A dextra Pegasus Heliconiam rupem vngula fodiens Hippocrenem eliciebat, aquis vario errore labentibus, donec in alueum cogerentur, florentibus ripis inclusum. His definitum mar-

marginibus atramentarium floridam, fluuidamque venam scripturis felici omine promittebat. Pegasi dorsum presserat redimitus platano Genius, qui tortile Amaltheæ cornu dextera sustinebat, demissis è summo labro coronamentis exuberans. Graphiarium id erat, non aliunde sumendos calamos docens, quàm de Genij manu, quo renuente reluctantes inuenies, & (a) *nihil inuita facies Minerua*. Taciturnus à læua Harpocrates labia digito comprimebat, & quasi commissa sibi arcana, vocemque tumularet, ceruice leuiter flexa incubuerat vrnæ, à qua puluerarium vasculum promebatur. Signo suberat quadratum paribus oris loculamentum, in quo ductilis à fronte arcula, referente sphingem manubrio, occultas notas, annulum cum gemma, ceramque sigillarem seruabat. Reliqua loculamenti latera Cadmi, literarum inuentoris, fabulam minoribus anaglyptis expresserant. In plutei medio, quà parieti proximiùs hærebat, altior basis armatam Ægide, & hasta Palladem sustulerat, erecto supra cassidem gallinaceo gallo. Deæ versatiles oculi erant, quibus assiduè, decorèq; circumactis Musæo inuigilare videbatur; moderante scilicet obtutus

a *Hor. de Arte.*

rotato horologio, quod latebat in basi. Exteriores horarum characteres muta ligula percurrebat: æris tinnitum supplebat gallus, qui quassatis ad singulas horas alis, hianteque rostro illarum numerum indicabat, toties repetito nescio quo tenui sono, gallinaceum fermè cantum imitante. Ad imas basis radices noctua excubabat. Palladi sacra; eaque mobilis ad vsum cauo vertice lychnum excipiebat: vt literarijs lucubrationibus facem præferret ad nocturnas vigilias volucris nata, & perspicacior in vmbris. Tam elegans, argutaque supellex eruditam Domini lautitiem testabatur.



DE

PRoxima Facti Descriptioni Narratio est, quam inter primas apud Rhetorem exercitationes collocat Fabius, & commendat, eamque docet ab Hypotyposi differre. Ornata quidem, & fusa Narratio cum Descriptione, immò etiam cum Amplificatione conuenire videtur; inter quas tamen hoc discrimen est: quòd ex se Narratio eam tantùm exigit Facti expositionem, qua legenti, audientique innotescat. Descriptio in illius Demonstrationem incumbit, vt explicatis Partibus, & Adiunctis, quasi pictum veniat sub oculos: Amplificatio in Facti exaggeratione versatur; vt appareat, quanta sit illius magnitudo, dignitas, turpitudo, atrocitas. Quare simplex Narratio prima ducit rei lineamenta; Descriptio superinductis coloribus effigiem exprimit; Amplificatio velut additis luminibus, & vmbris efficit, vt quasi corporis membra, torique promineant. At simul vnitæ mutuam sibi operam præstant, vnaque sæpe illustris, & ampla Narratio plures Descriptiones continet, atque Amplificationes.

Quid sit Narratio, quotuplex, & quæ illius Virtutes.

CAPVT PRIMVM.



ARRATIO est rerum gestarum, vel vt gestarum expositio. Quæ Definitio docet ad Narrationem spectare, & verè gesta, & quæ gesta finguntur, vt mox videbimus.

Duplex Narratio est: alia, quæ certam sedem in partibus Orationis habet: alia, quæ in omnem Orationis partem, ac vsum venire potest. Prima dicitur Narratio Ciuilis, ad Forenses attinens Causas, quam Rhetoricis relinquimus, suo loco explicandam. Secunda, quæ ad hæc nostra Præludia pertinet, non alligata Ciuilibus Causis, multò liberior est, omniumque rerum expositiones complectitur. Illa igitur nunc ommissa, de hac agimus, quæ, Tullio teste, non inutili cum exercitatione dicitur, & scribitur.

Tres sunt huius Narrationis species, *HISTORIA, ARGVMENTVM, & FABVLA.* (a)

Hi-

a *Quintil. l. 2. cap. 4. ad Heren. lib. 1. Cic. de Inuent. l. 1.*

HISTORIA est rerum verè gestarum expositio.

ARGVMENTVM, siue (vt loquitur Aphtonius) Poetica Narratio, *est ficta res, quæ tamen fieri potuit*; cuiusmodi sunt in scenis Dramata, & expressa ad veri similitudinem commenta Poetarum.

FABVLA est ad veritatem significandam ficta Narratio; nam vtcunque minimè vera, immò, & à forma veritatis remota ennarret, aliquam tamen illis figmentis veritatem insinuat, & morum doctrinam.

Ijs virtutibus præstare maximè Narratio debet ex Tullio. *In Part. Orat.*, quæ in reliquis ferè dicendi partibus commendantur; hoc est: vt sit Probabilis, Dilucida, Breuis, & Suauis.

Probabilis erit, si nihil contineat à communi opinione, nihil à personis, ac rebus alienum; denique nisi Narrator insaniat, vt *Delphinum syluis appingat, fluctibus Aprum. Hor. de Arte Poet.*

Dilucidam efficit Elocutionis candor, & ordo narrandi; si non temerè misceantur ima summis, media primis.

Breuis erit Narratio, si non longiùs petatur, si non eadem repetat, si non minutioribus immoretur. Sat breuis

ea censeatur, in quo nihil otiosum est.

Suauitatem affert elegantia styli, & varietas Figurarum; vt inferiùs docebo.

Hæ verò Virtutes, quanuis maximè Historicæ Narrationi conueniant, quæ cæteris præstat, estque demum vera Narratio, eædem cæteris quoque sunt communes. Neque Fabulosæ sua probabilitate carere debent, quæ consistit in rerum conuenientia, & imitatione veri, vt egregiè docet ex Hermogene Priscianus. Mendacem quidem (ait) esse volunt Fabulam, sed ad vitam vtilem, nec non & verisimilem. Est autem verisimilis, si res, quæ subiectis accidunt personis, aptè reddantur. Vt puta, pulchritudine aliquis certat: Pauo supponatur. Oportet alicui astutiam tribuere: Vulpecula est subijcienda. Imitatores aliquos hominum volumus ostendere: hìc Simijs erit locus. Etiam igitur in fictis Ethopœia, decorumque seruetur. Cæterùm hac virtute sublata & Argumenta, & Fabulæ non maioris erunt pretij, quàm nugæ aniles, & insanientium deliramenta.



DE

De Argumento, seu Narratione Poetica.

CAPVT SECVNDVM.

POetici Argumenti leges hoc loco exactè præscribere mei muneris esse non arbitror, ne in alienos fines transiliam; cùm hoc ad artem Poeticam spectet, maioremque cum iudicij maturitate postulet rerum peritiam, quàm prima hæc ferant adolescentiæ studia; cui magis expediet ad styli exercitationem probatis aliorum inuentis inhærere, quàm noua proprio Marte moliri.

Neque verò ad solam prodijt oblectationem suauissimus hic ingenij fœtus, sed ad condimentum Sapientiæ, quam fictionum illecebris delinitam austeriora fastidientibus animis blandiùs Poetæ propinarunt. His quoque tecta inuolucris, & Religionis mysteria, & Philosophiæ arcana, quasi profanis abscondita vulgi conspectibus, oculatioribus tantum mentibus peruidenda reliquere. Argutis huiusmodi commentis vtitur Epopœia, seu Heroica Poesis, vt vera illustrium virorum gesta nobiliùs exornet. Tragœdia quoque, & Comœdia fictis euenti-

bus

bus humanam vitam instituunt.

Adde sub figmentorum laruis latentes Poetas vitia liberiùs insectari, tuerique Virtutes, declinandaque illorum damna, premenda istarum vestigia elegantissimis Figuris adumbrare. Hinc Sirenes, quæ mollibus cantilenis ad mortem soporant; Circe, quæ veneficis poculis homines vertit in bruta, exitiales esse docent voluptatum blanditias. Immissæ in Phineum Harpiæ, Furiæ agitantes Orestem admonent imminere sceleri Diuinam vltionem; patrati criminis conscium animum conscientiæ stimulis cruciari, suosque secum circunferre tortores. Habes in Ænea pietatis, in Eurialo, ac Niso amicitiæ, in Penelope fidei, in Vlysse prudentiæ imitanda exempla. Idem alibi Eloquentiæ vires ostendit, vbi de Achillis armis cum Aiace contendens *Fortis tulit arma disertus*. (a) Consule Natalis Comitis Mythologiam, qui Poeticas fabulas eruditissimis commentationibus illustrauit, hisque inclusa Ethicæ, & Physicæ dogmata enucleauit.

Præter Poetas alij non defuere fictarum Narrationum artifices, vt Lucianus, Achilles Statius, Apuleius, & Petronius Arbiter: quanuis cautè legendi huiusmodi Fabulatores; cùm plerique abs-

a Ou. Metam. lib. 13. fab. 1.

abutentes ingenio Satyram, & impudicitiam personis induerint, vt licentiùs baccharentur. Habes è recentioribus Io: Barclai Argenidem. Petri Firmiani Gygem, aliaque eiusdem, & similium scriptorum opera, quæ sine damno integritatis figmentorum voluptate delectant.

Hæc noua fingendi libido à Græcis ad mentiendum natis in Latinos effluxit, seque sensim diffudit in aliarum Gentium linguas. Hinc tot vulgata soluta Oratione Poemata, apud Nostrates *Romanzi*, magna plerùnque iactura temporis, nec minori morum exitio. Tu, si sapis, inanibus commentis, merisque styli lenocinijs blandientes paginas tineis legendas relinques. Quin si totum fabularum genus, quod solas aurium delicias profitetur, è sacrario suo (vt Macrobius docet) in nutricum cunas Sapientia eliminat, quònam amandabit illecebrosa illarum inquinamenta, quæ mentibus insidiantur?

Vt verò ad Poeticum Argumentum redeam, vnum hoc iterum, iterùmque moneo, seruandam in eo similitudinem veri; cauendumque, ne fingendi dulcedo in absurda rapiat, quæ personis, rebus, loco, temporique repugnent; quo in genere Scenicæ Actiones ex sæculi fortassè genio non raro peccant,

quæ

quæ vt implicito euentuum nexu, & miranda Catastrophe spectatores oblectent, immaniora Sphingibus, & Chimæris portenta inducunt. Sed hæc alij viderint: nos enim nondum soccos induimus, & cothurnos.

De Fabula.

CAPVT TERTIVM.

FABVLA Græcè APOLOGVS à Poetis exorta è Musarum adytis in Scholas Philosophorum transijt ad morum magisterium, quod sine supercilio exercet; dum grauissimis monitis tanquam aliud agens instituit, ac ludendo emendat. Celeberrimus est Æsopi libellus, in quo festiuæ brutorum, hominumque confabulationes ad seria legentes erudiunt: quanuis primus similium Fabularum author Hesiodus Quintiliano videatur. *Instit. Orat. lib.* 5. *c.* 11.

Triplex Fabula est: *RATIONALIS*, *MORALIS*, & *MISTA*.

RATIONALIS dicitur, quæ hominum facta, & dicta effingit. Huius generis illa est apud Æsopum, in qua Fullo Carbonarij hospitium recusat.

MORALIS, quæ ratione carentium moribus vtitur ad instituendam hominum vitam. Talis illa est, quæ Vulpem,

&

& Crocodilum inducit de nobilitate contendentes.

MISTA, quæ hominum, & irrationalium colloquia continet: qualis ea est, in qua captus à Furibus gallus gallinaceus frustra veniam precatur.

Duæ sunt Fabulæ partes *NARRATIO*, & *ADMONITIO* *NARRATIO est ipsius Fabulæ expositio*. *ADMONITIO est rei narratæ ad rem subiectam accommodatio*, seu *explicatio sensus latentis in Fabula*. Si hæc Admonitio præmittitur Narrationi, dicitur *PRÆFABVLATIO*, seu *ANTEFABVLATIO*; si subditur in fine, vocatur *AFFABVLATIO*. En Æsopicum exemplum.

Narratio Fabulæ.

In cella quadam, melle effuso, muscæ aduolantes comedebant. Implicitis autem earum pedibus euolare non poterant. Cùm verò suffocarentur, dicebant. Miseræ nos, quia ob modicum cibum perimus.

Affabulatio.

Fabula significat, multis gulam multorum malorum esse causam.

Non lepida itaque solùm figmenta Fabulas commendant, sed insuper vtilia

lia monita, quæ magnum afferunt moribus fructum. Hinc à Sapientibus etiam, grauibusque viris adhiberi consueuere. Et quanuis apud Oratores non frequentior sit earum vsus, non omnino tamen ab Oratione excludendus; plurimùm enim delectant, aures q; recreant, serijs fessas; atque ad animos, popularium præsertim hominum, mouendos valent, & vim habent argumenti à simili. Vide Rhetorem Galli *lib.* 4. *c.* 18.

De ratione contexendæ Narrationis cuiuscunque Facti.

CAPVT QVARTVM.

DVplici modo tractari potest Narratio cuiuscunque Facti. Primò familiari stylo, breuique, ac nuda illius expositione. Secundò diffusa, & ornata eiusdem explicatione. Hoc itaque secundo modo tractata Narratio ea est, quam tantopere Quintilianus. *Instit. Orat. lib.* 2. *cap.* 4. adolescentibus commendat, scribendi, ac dicendi tirocinijs perutilem; vt simplicem eam facti expositionem dilatare, ac exornare assuescant, quanta maxima possint adhibita diligentia. Materiam quoque inter initia esse mauult abunda-

tio-

tiorem, atque vltra, quàm oporteat fusam. Nam quamuis castigata Narratio, neque arida prorsus esse debeat, ac ieiuna, neque sinuosa, & accersitis Descriptionibus imitatione Poeticæ licentiæ lasciuiens; in prima tamen ætate laudanda potius Oratio, quæ exuberet, quàm quæ sterilescat: facilè quippe remedium est vbertatis, sterilia nullo labore vincuntur.

Variè quoque Narratio tractatur pro diuersitate materiæ: grauiorem enim stylum grauia, & seria desiderant; amœniorem festiua, & iocosa.

Sed & alia narrandi ratio Historicis est, alia Poetis, alia Oratoribus.

Historici non vehemens adhibent, & arte Oratoria elaboratum dicendi genus; at sincerum, & æquabiliter fluens, sine validiorum Figurarum vsu, ac motu animorum. Consilia tamen, & fines, & modos explicant, quibus res gestæ fuerunt; Conciones quoque, ac Descriptiones, cùm opus est, intermiscent.

Poetis omnem ingenij luxum in Narrationibus depromere (seruato tamen decoro) vt & in cæteris, licet.

Oratores presfiùs quidem facta exponunt; cùm vel simplici Narratione vtuntur ad docendum; vel cùm iam notum aliquod Factum arguto, vibra-

toque stylo exornant potiùs, quàm narrant. Sed Narrationes, quas ad delectandum, seu ad illustrandam Orationem inducunt, vel ad affectus excitandos, pleniori vbertate fundunt, maiorique instruunt verborum, ac sententiarum apparatu.

Memineris interim Narrationem Historicam à nobis dici non eam tantùm, quæ historico stylo scribitur, sed quæ verum Factum ab Historia depromptum, quanuis Oratoria dicendi forma, exponit; sicuti Poeticam Narrationem eam dicimus, quæ Poeticum explicat argumentum, quanuis non adstricta numeris Oratione.

A quibus Locis Facti explicatio sumatur iam docuimus in eiusdem Amplificatione, ac Descriptione. Superest, vt aptiora quærantur Figurarum ornamenta. Ornatur itaque maximè cuiusque Facti Narratio Figuris Descriptionis, Sermocinationis, Suspensionis, Apostrophes, Communicationis, Dubitationis, & Exclamationis. Hinc Tullius. *In Partit. Orat.* Narrationem commendat: quæ habet admirationes, expectationes, exitus inopinatos, interpositos motus animorum, colloquia personarum, dolores, iracundias, metus, lætitias, cupiditates; quæ omnia Figurarum illarum apta-

tractatione præstantur.

His accedunt quædam constructionis Figuræ, quæ in Narrationibus magno sunt vsui, vt *ENALLAGE*, & *ECLIPSIS*. *ENALLAGE*, cùm ponitur Infinitiuus pro Præterito imperfecto, vt. *Subornauerat seruos in virum perfida vxor. Ille nescius doli, securus VIVERE, sincerè cum illa VERSARI, nil CAVERE*, hoc est *viuebat, versabatur, cauebat*, vel Præsens pro Præterito, vt. *Ducebat ipse Rex antesignanos. Dum incautiùs SVBIT, saxo crus eius AFFLIGITVR; innixus tamen telo nondum prioris vulneris obducta cicatrice inter primores DIMICAT*. Quæ omnia Præterita per tempus Præsens efferuntur.

ECLIPSIS fit, cùm prætermittitur aliqua Orationis particula, quæ ex consuetudine scriptorum subauditur, vt. *Hinc iurgium; mox & prælium*. Subintelligitur *ortum est*. Sic dicimus. *Hæc ille. Hactenus Tullius. Nec plura.* suppresso verbo *dixit*. Sæpiùs verbum substantiuum ommittitur; vt: *digna res visa, de qua vates consulerentur. Nihil imperuium virtuti. Aut vincendum fortibus, aut moriendum*. Ita supprimitur verbum, à quo pendent Infinitiui, vt: *illi tollere ad Cælum manus; gratias agere superis; inexpecta-*

tam

tam felicitatem sibi gratulari: omisso verbo *COEPERVNT*. Huiusmodi loquendi formulas in Historicorum lectione frequentes obseruabis. Plura de his Gallus in Rhetore *lib.* 3. *cap.* 10., & in Grammatica institutione *lib.* 2.

Quod attinet ad Narrationis dispositionem, non multis præceptionibus est opus; illius enim ordinem suggeret ipsa Facti series. Si exordiolo vti libuerit desumetur vel ab aliqua sententia, vel celebri adagio, siue à breui commendatione Virtutis, aut vituperatione Vitij, cuius exemplum in præsenti Facto emineat. Quandoque ab Antecedentibus, & Causis Facti; aliquando à Descriptione loci, seu temporis, quo res gesta est, siue personarum, ad quas pertinet. Cæterùm Figurarum, & affectuum variatio, tum sparsa interdum pro rerum opportunitate acumina, & sententiæ in Clausulis condient Narrationem. Postremò graue aliquod dictum, seu Epiphonema coronidem imponet.

Fabula eadem fermè ratione disponitur, ac tractatur; at stylum amat remissiorem, vimque minorem & cultum Figurarum. Hominum quidem, & aliorum animantium, rerum etiam sensu carentium colloquia intexit, quæ maximè consona esse debent loquentium

tium naturæ. Quæ ſint Fabulæ partes iam noſti.

De Argumento, ſeu Narratione Poetica vix quidquam aliud addendum ſupereſt, niſi quòd quanuis Oratione ſoluta ſcribatur, ex Poeſis commercio aliquam cum eadem affinitatem redolet, amœnitate, ac luxu elocutionis; non ea tamen licentia, quam pati Oratio non poſſit. Sed facilè ex vicinia illabitur audendi libertas; quare mirum non eſt, ſi hanc ſecuti ſcribendi rationem non ſemel Thyrſum Caduceo commiſceant, ac œſtro laborent. Audiendus omnino Quintilianus. *Lib. 1. cap. 9. Narratiunculas à Poetis celebratas notitiæ cauſa, non Eloquentiæ, tractandas puto.*

NARRATIONVM EXEMPLA.

Hiſtorica Narratio.

Iuſtus, & Paſtor fratres, cùm adhuc pueri literis imbuerentur, proiectis in ſchola tabulis, ſponte ad martyrium cucurrerunt. Et mox à Daciano Præſide teneri iuſſi, & fuſtibus cædi, cùm ſe mutuis exhortationibus conſtantiſſimè roborarent, extra Ciuitatem perducti à carnifice iugulati ſunt. *Ex Adonis Martyrol.*

Historiæ compendium hic habes. Nos idem factum magis diffusa, & ornata narratione illustrabimus.

PVERI HEROES.

Quorsum leues adolescentuli voluptatibus difluentes animi vestri mollitiem excusatis ætate, quæ imbecillibus adhuc vestigijs nimis arduum virtutis iter inire non possit? Ecce tenelli Heroes Iustus, & Pastor inter vitæ primordia fortiter, sanctèque gestis arripuere apicem gloriæ, vix terris nati, & iam Cœlo maturi. Erant ambo nobilium, proborumque parentum amores, qui deriuatam in filios indolem suam pietatis, morumque cultu, ac literarum tirocinio liberaliter educabant. Sed altiore progressu ita vicere vota maiorum generosi pusiones, vt in ipsis elementorum rudimentis lauream meruerint immortalem. In literarium ludum maturè, quod moris erat, conuenerant; & iam expediuerant pugillaria, vt scriptioni manus admouerent; cùm ecce tristissimus nuntius affertur, impio Daciani edicto, quotquot adolere thura profanis Numinibus abnuant, in vltimum capitis discrimen vocari. Exarsit in lacteis illis pectoribus Religionis ardor, & sancta indi-

gna-

gnatione frementes pij fraterculi: ergone, inquiunt, sacrilegis aris liberam ceruicem flectere cogemur, & ligneos, fictilesque Deos adorare? minatur extrema Dacianus? præstat insontes animas in veræ Diuinitatis cultu profundere, quàm iniquissimis viuere temporibus, cùm impietas regnat, & monstris adhibendam venerationem edicit. Hæc inter se collocuti scriptorio stylo, tabellisque proiectis è schola se se proripiunt, Præsidis tribunal adituri. Sistite pueri imbelles, quò properatis incauti? quis vos impetus in ingens ausum impellit maius viribus, & annis? Vos ne pugnabitis in Tyranni ferociam, cuius ne supercilium quidem ferre potest hæc ætas? Vos recentes è sinu matris consolatis in manus tortorum, & instrumenta lanienæ pro crepundijs habetis? Ah nondum vigent molles artus ad pœnas. Differte in virile robur ista consilia, sitque nunc satis agere fortia voluisse. At firmior est in magnanimis puellis virtus, quàm vt vllo terrore valeat auocari. Cruentas Daciani ædes impauidi subeunt, & se palam Christianæ veritatis cultores profitentur à mendacibus, nefarijsque sacris abhorrentes; si digni supplicio censeantur, qui de Diuina Religione rectè sentiant, illuc se spontè gloriosissimi criminis

reos aduenisse, non inuitum sanguinem daturos. Ea res Præsidi renuntiata immitem illius animum vehementius affecerat, vt qui ægerrimè ferret, suam, & Cæsarum authoritatem, ac Romanorum Numinum reuerentiam ab illa etiam ætatula contemni. Sed puerilem eam esse leuitatem arbitratus, mitiori animaduersione castigandam, lictoribus mandat; vt flagris audaculos plectant, facilè scilicet, vel perstricta summa cute, de sententia decessuros. Rapiuntur statim in agonem pusilli pietatis athletæ, nudantur, vinciuntur, cæduntur. Illi ne tantillum inflecti? veniam exorare? petere saltem inducias? lacrymulam saltem, vel gemitum edere? ò inconcussam in delicatis corpusculis mentium firmitatem! Serena fronte spectant inuicem, & solantur dolores suos æternæ recordatione mercedis; quin etiam ad grauissima quæque pro Christo ferenda se mutuis colloquijs accendunt. En quos in te sanctitas emittit è schola tirunculos Daciane. Quid iam statues in fortiorem tuis fascibus pueritiam? an frustratis iam virgis ad securim confugies? fremit, furit, bacchatur lymphato similis Præses, & ne debiliorem infirmis pupulis barbariem suam publico prodat supplicio, clam iubet à

con-

conſpectu ciuium abductos iugulari. Eadem illi alacritate, qua dederant fuſtibus membra, iugulum ferro præbuere. Ite victrices animulæ, immò animæ ingentes è corporum anguſtijs in immenſa Cœlorum ſpatia: vos enim terra non capit. O inſerendos Heroum faſtis puellos, ô coronandam perenni lauro prætextam! Tumulo veſtro incidere liceat ſubiectam radiatis auro nominibus Ambroſij epigraphem. *Nulla Dei Regno infirma ætas. In cap.* 15. *Luc.*

ALIA NARRATIO HISTORICA.

Gallienus, cùm quidam gemmas vitreas pro veris vendidiſſet eius vxori, atque illa re prodita vindicari vellet, ſurripi quaſi ad Leonem venditorem iuſſit. Deindè cauea caponem emittit: mirantibuſque cunctis rem tam ridiculam per curionem edici iuſſit. Impoſturam fecit & paſſus eſt. *Ex Trebellio Poll. in Gallienis duobus.*

En vt paruis rem totam Hiſtoricus abſoluit, illam ſummatim complexus, nempe contentus docere Lectorem. Sed Orator ad delectandum etiam inſtructus Tragicomicam iſtam actionem ſplendidiori, ac feſtiuiori apparatu ità explicaret.

FALLACIA FALLACI SVPPLICIO MVLTATA.

Imperante Gallieno Romam aduenerat circunforaneus institor quidam, ex illorum fæce, qui Armeniam, ac Indiam barbara veste mentiuntur, & exoticis, plerunque Græcæ fidei, mercibus inescare solent incautos. Is tam felici dolo coloratum vitrum in speciem gemmarum transfuderat, vt sagacissimum etiam falleret oculorum iudicium. Nec veritus est impudens homo pariter, ac versutus, insinuare se in aulam, ibique mirabilem illam suarum fraudum officinam explicare, inuitata ad pretiosissimas nundinas Augusta. Hæc dignam Cæsaris coniuge supellectilem, adamantes, pyropos, elenchos mercari se rata; non leuem prodegit auri summam, laudante ingenium suum artifice, qui tam vtilem Chymiam inuenisset, vt fracta vitrea commutaret in aureos. At non diu latere potuit tam insignis fallacia: peritiorum enim indicio postmodum constitit, peregrinum mercatorem, vitriarium esse, non gemmarium; totque pretiosissimos lapillos tandem nitellas esse sine pretio fulgurantes, picta mendacia, merasque artis præstigias. Quàm grauiter tulerit

fœ-

fœmina, princeps, ſuperba, tantæ impenſæ ludibrium, quas minas, quas diras effuderit, ipſi cogitate. Vix ſui compos, erumpente in vultum iracundia, & penè verba intercipiente, rem protinus defert ad virum, ſeque fraudatam à viliſſimo nebulone, immò contemptam impotenter exclamat: niſi citò citiùs iniuriam iſtam irriſus in vxore Cæſar acerrimè vindicet, iam thalami conſortium, iam dignitatem Imperij manifeſtè vileſcere. Ita ne verò (inquit ille) ita ne, dilectiſſima coniux, tibi auſus eſt imponere deſpicatus humuncio? luet mihi crede iuſtiſſimas pœnas, & memorando exemplo docebit, eam eſſe Gallieno ſeueritatem, qua ſciat pro merito plectere nocentes. Agite lictores quærite, vincite, rapite in amphitheatrum ſceleſtiſſimum caput. Dictum, factum. Trahitur infelix in arenam, ſtatimque vulgatus per Vrbem rumor, captum iuſſu Cæſaris veteratorem obijci feris, denſiſſimum populum ad ſpectaculum cogit. Alij, qui cauſam obſcuriore adhuc fama nondum ſatis cognouerant, curioſiùs proximum quemque de reo, de crimine percontari. Suis alij ſuffragijs non abſoluere ſolùm, ſed commendare hominis induſtriam, qui ludificato muliebri luxu præmium meruiſſet. Alij contra peſſimum frauda-

torem execrari, & immanioribus proditorum pœnis addicere, clandeſtino latrocinio diutiùs impunè graſſatum. Acceſſere plebeæ petulantiæ importuna dicteria, morituro inhumaniter inſultantis. Conficiebatur interea miſer expectati horrore ſupplicij: millies audire ſibi viſus infrementes feras, millies trepidis artubus earum morſus preſenſerat; vixque ſibi ſatis conſtabat, adhuc ne totus viueret, an ſemeſo iam corpore inciperet mori. Certè crudeliùs ipſa morte mortis dilatio torquebat; nec minùs adſtantium ſuſpenderat animos tandiu vacans arena; quibus impatientia, & deſiderium ex mora creuerant, quidquam ſolito atrociùs promittente. Quid ipſi demum eueniſſe putatis? Erupiſſe ne ad rei lanienam maceratos inedia Marmaricos Leones? an recentes ex Hyrcania Tigrides, Pantheras, Hyænas, Manticoras? an aliquem è Scythia Gryphem, aut miſſum è Lybia portentum? Omnes ferarum, & monſtrorum indices reuoluite; quidquid nouum, inauditum, inuiſum mente concipite. Quàm præter morem, tam præter omnem opinionem eſt, quod audietis. Quid tandem! tandem (ò Comica Tragici ſpectaculi Cataſtrophe!) Tandem capus emmittitur è cauea, qui populo circumſtrepente

pente deterritus, vbi excussis alis hac illac errauit, admonens glocitando incruentam se bestiam esse, recessit in latebras. Qui tunc elatus effusè cachinantium sonus? quæ manuum, pedumque supplosio? qui promiscui clamores? donec facto per præconem silentio, admirantibus rei nouitatem Spectatoribus, hæc iubet Cæsar edici. Satis iam dedisse pœnarum, qui fallaciam fallacia luit. Par ita redditum pari. Abeat modò delusor illusus. *Imposturam fecit, & passus est*.

FABVLÆ.

Pauo, & Monedula.

Auibus Creaturis Regem Pauo orabat, vt se ob pulchritudinem eligerent. Eligentibus autem eum omnibus monedula suscepto sermone ait: Sed si te regnante Aquila nos persequi aggressa fuerit, quomodo nobis opem feres?

Affabulatio.

Fabula significat Principes non modò propter pulchritudinem, sed & fortitudinem, & prudentiam eligi oportere. *Hactenus Æsopus, qui Philosophica breuitate fabulam proponit. Quantò amœnior hæc eadem erit oratoriè tractata?*

AMBITVS PAVI CASTIGATVS.

Conuolauerant aues ad comitia, quibus nouum sibi Regem eligerent, vt narrat insignis fabulator Æsopus; nec pauci erant inter pennatos proceres candidati, qui supremum apicem ambirent. Pauus præ cæteris affectabat impensiùs. Is itaque palam captare suffragia, neque tantùm circumire, prensare singulos, benignè compellare, palpare, rogare, obsequijs demereri, ac promissis; at superba etiam ostentatione de se plura gloriosiùs prædicare. Denique se Iunonis alitem esse, illamq; aeris dominam, hoc est Regni volantum: gratissimum vtiq; fore, vt maximè decorum, Dearum Reginæ, si ex eius aula, immò de sinu sibi Principem asciscant. Cæterùm quo animo ferendam iniuriam putent, si, quem illa in delicijs habeat, ipsi despexisse videantur, aliumque se posthabito, Regem præficiant? quencunque verò sibi eligant, vllum ne posse in ea Prouincia, quæ Iunoniæ ditionis est, auersa Dea, feliciter dominari? Si adhuc ambigant, cuinam potissimùm Principatus ille debeatur, ipsam consulant Naturam, quæ se vnum præ tota Volucrum gente ad Regiam maiestatem ele-

elegantiùs ornauit. Immò quæ (inquit) Regum purpura plumeo huic amiculo non inuideat? Quis vnquam Sydonius murex, quis acus Phrigij labor, quæ picturæ solertia, quis auri, gemmarumque fulgor Paui trabeam æquet, non ascitam, sed natiuam, & legitima hæreditate à maioribus ad posteros transmissam? Nec suus vertici deest honor; vt quisque intelligat, me natum esse ad Regnum. Hæc inter elata ceruice gradatim procedit in medium, longo syrmate campum euerrens; tum Soli aduersus pennas circinat in orbem, instar Iridis, variante colores luce, suauissimè rutilantem. Mirantur omnes diuitem volucris luxum, in quem vnum quidquid in metallis, quidquid in lapillis pretiosiùs nitet, quidquid amœnius floret in hortulis, natura prodegit; iamque venustissima specie ita perstrinxerat oculos intuentium Pauus, vt simpliciores auicularum centuriæ illi deuouerent obsequium. Cum repentè annosior Monedula, non tam vitio ingenitæ garrulitatis, & conuitiandi licentia, quàm ineptissimæ ambitionis fastidio in tumidum Regni petitorem insurgit. Heus, ait, venustissimè Volucrum antistes, quid splendido caudæ flabello ventilas auram Comitiorum? non pe-

niculo indigemus ad excutiendum pulverem è folio; nec enim video, quonam vſu meliore ſpectare poſſit iſta ſupellex ad Regnum. Regem quærimus, non ſpectabilem, ſed fortem. Quid ſi te ſibi prælatum non ferens Aquila contemptum velit vlciſci, nobiſque bellum indicat? Illius ne aciem retundes radiantibus hiſce pigmentis? tumne proderit in infeſtas vires agitare pennarum lemniſcos, noſque ſatis hæc mollis pompa defendet? oculatiſſimum ſanè Regem habebimus, ſed qui Argi oculos reiecit in caudam. O vos leuiſſimæ Volucres, ſi plumis defertis imperium. Hæc Monedulæ ſincera libertas mirum eſt, quos in Comitijs motus exciuerit. Euicit vtique, vt ad ſaniora conſilia verterentur audientes, & multatus repulſa Pauus contracta iam plumarum lacinia, criſtatoque vertice demiſſo, digniſſimas lueret inſani ambitus pœnas.

Affabulatio.

Audin ſuperbiſſimè honorum captator, quem inconſulta ſolicitat dominandi libido, qui tam vacuus merito, quàm turgidus faſtu celſiores appetis gradus? quid adeò tibi places, quid te circunſpicis, & velut auis Iunonia te iactas? an ideo cæteris te præficiendum putas, quod auro, gemmiſque præfulges?

Ho-

Hominis integumenta sunt illa, atque idem, quod volucri plumæ, quæ fortunæ bona vocamus. Næ tu, si sua repetat, si te illa deplumet, nuda mouebis cornicula risum. Quæ tibi mentis acies, quæ animi præstantia, qui rerum vsus, quæ in consilijs prudentia, quæ in arduis fortitudo? His excellere debet, qui ad aliorum regimen euehitur, vt publicæ incolumitati prospiciat, atque ita præsit, vt prosit. Pone itaque supercilium; quòd si ambis imperia, tuis disce cupiditatibus imperare.

LEO, LVPVS, ET VVLPES.

Leo, cùm consenuisset, ægrotabat iacens in antro: accesserunt autem visitatura Regem, præter Vulpem, cætera animalia. Lupus igitur capta occasione accusabat apud Leonem Vulpem, quasi nihili facientem suum omnium dominum, & propterea neque ad visitationem profectam. Interim affuit & Vulpes, & vltima audiuit Lupi verba. Leo igitur contra eam infremuit, sed defensionis tempore petito, & quis, inquit, eorum, qui conuenerunt tantùm profuit, quantùm ego, quæ in omnem partem circuiui, & medicamentum pro te à medico quæsiui, & didici. Cùm autem Leo statim, vt me-

medicamentum diceret, imperasset, illa inquit: Si Lupo viuente excoriato ipsius calidam pellem indueris. Et Lupo iacente Vulpes ridens ait: Sic non oportet dominum ad maleuolentiam mouere, sed ad beneuolentiam.

Affabulatio.

Fabula significat eum, qui quotidiè machinatur, in se ipsum laqueum vertere.

Hæc apud Æsopum ex Græco versa simplex Fabula narratio est. Hanc eandem ex instituto nostro meliori cultu exornandam suscipiamus.

LVPI MALIGNITAS SIBI NOXIA.

Vertitur sæpiùs in authorem malum, suisque plectitur liuor insidijs. Placet in rem istam celebrem Fabellam afferre. Oderat Vulpem acerbissimè Lupus; & quanuis antiquam simultatem nulla palàm offensa profiteretur, auerso tamen animo nocendi opportunitatem spectabat. Commodùm euenit, vt senio, & morbo laborans in spelæo suo decumberet Rex ferarum. Illuc è tota vicinia confluebant cæteræ animantes, vel vt ambitioso famulatu captarent Principis gratiam, vel vt ægritudinis tædium confabulationibus leni-

lenirent, siue vt soluerent prædæ tributa; omnes certè vt obsequium domino testarentur. Vna distulerat officium callidior Vulpes, olim fortè alienis edocta cladibus, tutius esse præcedentium spectare vestigia, & eorum indicijs, quàm longi sint Leonis vngues, procul periculo metiri. (a) Obseruauerat hanc moram infensissimus Lupus, ratus inde aperiri sibi aditum ad perniciem Vulpi moliendam, si maligna interpretatione illam neglectæ maiestatis accusaret. Aderat quippe Leoni assiduus, factus ad aulæ ingenium versutissimus palpator, & artifex fraudum. Dum ergo languentem assentatorijs illecebris demulcet, meditatam ante calumniam blanda insinuatione illius auribus insusurrat. Gratulari se quidem constantissimam fidem eorum, qui effœtam optimi Regis ætatem adhuc sincerissimè colant: ast æquè dolere in communem hanc reuerentiam tam impudenter peccare contumacem feram de viliori syluarum plebecula, tanto supremæ dignitatis contemptu. Stomachari se pridem vnius Vulpeculæ impudentiam, quæ infirmam Domini sui senectutem aspernetur. Cùm Aula quotidiè conuenien-

a *Ex alia eiusdem Æsopi Fabula de Leone sene, & Vulpe.*

nientium frequentia ferueat, illam vnam ne limen quidem attigisse, nunquam dignatam mittere saltem, qui nomine suo decumbentem inuiseret, seque diutiùs cunctantem excusaret. Magnis videlicet distineri negotijs, vt segnibus rapinis intenta rura circumeat, mapalibus insidietur, chortes expilet, hinc opiparè pasta in cubili suo stertat ad multam diem, vel grauem crapula stomachum suauissimis deambulationibus leuet. Non esse vltrà ferendum, vt afflicta Principis valetudine petulanter exultet; nec dubium quin antea tacitè illius fastidiuerit imperium, cuius modo languorem tam apertè despiciat. Ne pessimo igitur exemplo dissimulata irriuerentia serpat in plures, adhibendam seueritatem; vt omnes admoneat Vulpeculæ pœna, senem etiam Leonem non impunè deludi. Nondum fraudulentam criminationem absoluerat accusator, cùm adfuit repentè Vulpes; tum enim fortè adueniebat, & pendente vestigio accedens postrema de se Lupi murmura, & indignantis Leonis rugitus acceperat. Sed quis Vulpem doceat vulpinari? Velut insidiarum ignara interrita procedit, & in antri vestibulo procumbens Dominum suum Regem profusa obsequij significatione veneratur.

tur. Fremebat interim Leo, seque nunc inualidum haberi contemptui acerbè questus, iam toruum intuens aliquid meditari videbatur atrociùs minis. Tum illa submissa voce per summam eam clementiam, qua subiectis parcere solet, suppliciter exorat, ne se damnare velit inauditam; habere siquidem, quæ non solùm auertant omnem culpæ suspicionem, sed quæ sui Principis amantissimam ostendant. Facta dicendi facultate: Vereor, inquit, fortissimè Rex ferarum, ne de sero accessu meo ita Iudices iratus, vt damnabili vertas negligentiæ: at longè aliter postmodum senties, cùm tarditatem istam intelliges tibi fuisse properatis aliorum officijs vtiliorem. Istuc maturiùs confluxisse agmina inuisentium non ignoro: quis tamen eorum quidquam de tua incolumitate seriò cogitauit? Vna ego, cùm primùm te aduersa valetudine laborare dolens audiui, sciscitata diligentèr ægritudinis causas, illius depellendæ rationem statui perquirendam. O quot lassata itineribus omnes, quos fama commendabat, artis medicæ peritiores consului. Quàm varia, & sæpe inter se pugnantia eorum responsa excepi, animo reuolui, diligentiùs exploraui. Pleraque implicita, plura periculosa, plurima inania, multa prolixæ, ac diffi-
cilis

cilis experientiæ. Vnum tandem propitio Æsculapio præsens, & efficax medicamentum inueni, quo si vtaris, illico sospes, vegetus, robustus in viridem iuuentam, ne dum in pristinam salutem certò certiùs redibis. Ecquid adhuc (increpat Leo) quid adhuc improba moraris, nec statim aperis ægrotanti Domino felix medicinæ inuentum? Vnicum, subdit illa, remedium est viuenti Lupo detracta pellis, qua si calente adhuc languentes artus inuoluas, instaurato vitali calore in integras vires assurges. Vix ea, cùm in Lupum irruit Leo, & frustra vlulantem à summo vertice ad imos vngues deglubit; dum interim furtiuè ridet Vulpecula, & fruitur calumniatoris exitio.

Affabulatio.

Hunc habent exitum iniquorum artes, cùm probis, ac prudentibus viris moliuntur insidias. Suis ipsi machinationibus opprimuntur, ijs capiuntur, quos nexuerant, laqueis; in eosdem incidunt, quos tetenderant, casses, & Perilli fato suis, quæ conflauerant in alios, pereunt inuentis.

NARRATIO POETICA,

Funesti amantium errores:

Procris Cephali, egregij venatoris, amantissima coniux Auram ab eo sæ-

pius

pius in æstu inuocatam Nympham esse credens, cuius ille cupiditate flagraret, se in virgultis recondidit, ad nouos viri amores explorandos. Cephalus moueri virgulta videns, feram latere arbitratus, emisso iaculo vxorem imprudens interfecit. Ex Ouidio lib. 7. Metam. fab. 28.

Mutuo animorum nexu Cephalum, & Procridem, ætate, ac forma florentes felicissimus iunxerat Hymeneus; neque in ea, quæ rara est, coniugij concordia quidquam deesse videbatur ad plenissimam vitæ tranquillitatem. Eadem vtrique fides, idem castus pectorum ardor, vt nec Venerem Cephalus mallet; nec Procris Iouem. Sed hæc virum amabat impensiùs, & nimium amabat, solicitis crebrò vexata timoribus, quibus vix vnquam carere solet ingens amor. Erat Cephalus egregius in paucis venator, & in syluarum voluptatem spontè propensus cuius etiam studium accenderat vxoris munus, fatale iaculum, nunquam frustra vibratum in feras. Hac igitur venandi felicitate intemperantiùs vtens plurimam diei partem Dianæ curis impendebat. Non tam syluestrem coniugem Procris voluisset; à se diuelli toties dolens animæ dimidium suæ, quoties ille se se amantibus oculis eriperet; tandiu tri-

stis,

stis, quandiu non videret delicium suum. Recrudescebat in dies hic dolor, maturiùs quotidiè properante ad nemora viro, & iam anxiam mentem aliqua suspicio inuaserat, hæc sæpiùs reuoluentem. Quid sibi vult solertior ista Cephali vigilantia? Quid hæc tam frequens, tam prolixa venantio? iamne tepuere maritales faces? iam thalamum recentis nuptæ fastidit inconstans amator, & mendaci obtentu fugit inuisam? Quàm parum à diuortio distat hæc fuga, quæ continuò dirimit commune consortium? immò vix equidem video, quid intersit inter viduam, & solam. At vehementiùs ille capitur syluarum oblectamentis. Habet igitur aliquid Procride charius; atque vtinam ceruas tantum insectetur, & damas. Ea sanè est Cephali forma, vt placere potuerit Auroræ. Idem tamen Auroram constantissimè posthabuit vxori. O indignam prauis suspicionibus Fidem! malè de te meretur, qui malè de te metuit sincerus amor. Temerariam execror suspicionem, & indulgeo venatori venatrix. Dedi ego voluptatis irritamentum, attritum meis manibus, vtinam fortunatum semper, venabulum. Hoc vtere mi Cephale, quandiu libuerit: Quandiu libuerit à te patiar abesse, dum non absim à corde. Ita

se-

ſecum varijs cogitationum fluctibus agebatur inter fiduciam, & metum; cum ecce nouus curarum author superuenit famulus agreſtis. Dominam ſuam ſecretò is admonet, pulcherrimæ prædæ venatu Cephalum detineri. Nympham eſſe, vocarique Auram, quam deperit efflictim, & ſequitur; nec ſe mentiri, vel falli teſtem auritum; ſæpiùs quippè confabulantem audiuiſſe, melleiſque vocum blanditijs Auræ nomen iterantem. O ruſticæ ſimplicitatis inſaniam! Auram, quam Cephalus ad æſtus leniendos inuocare conſueuerat iuuenilibus cantilenis, Virginem aliquam eſſe rudis homo crediderat, ſyluis inerrantem. Hæſit velut afflata fulmine attonita mulier ad ea, quæ falſus index, vt rata, ne dum vera detulerat. Palluit, diriguit, iacuit propè animo deſtituta, donec ſuſpirijs cordis angorem laxauit. Erupere ſubinde profuſi fletus, triſteſque in ſortem ſuam querelæ, quibus tandem dolore ſatiato in mitiora diuertit. Non tam citò ferendam de viri crimine, in quod nondum inquiſiuerit ipſa, ſententiam: reuocari poſſe in dubium audita; nec adeò habenda pro certis, quæ ſtolidus verna nuntiauerat, vt Cephalum ſuum perfidiæ damnet, antequam præſens cauſam cognoſcat. Rem itaque ſilentio pre-

premit, dilato in posteram diem iudicio; vt suspectos amores oculis ipsa suis exploret. Nec dum satis noctis vmbras discusserant prima lucis exordia, cùm surgit de more vigilantissimus venator, & incomitatus egreditur ad feras. Furtim subsequitur præcedentis vestigia non segnior Procris, & per eosdem calles in destinatam venationi syluam inobseruata dilabitur. Vallis erat amœnissimis hinc indè collibus inclusa, cæterùm in longam diffusa planitiem, quà patentibus aruis apricam, quà spissis opacam arboribus, quà sparsis fruticetis rariùs syluescentem. Hìc Cephalus repetit labores suos, toties prospero successu, quoties insigne telum intorquet. Iam dies incaluerat, cùm lassus prædator in molli gramine discubuit, vbi patula quercus explicauerat vmbram. Ibi dum anhelum, vdumque pectus Æthesiarum flabellis aperit, remissiùs aspirantem auram solito carmine inuitat.

Aura veni, dilecta veni, miserata laborum,
Meque iuues, intresque sinus gratissima nostros;
Vtque facis, releuare velis, quibus vrimur, æstus.
Aura veni, expectata veni mihi magna voluptas.

Tu

Tu pellis curas; tu me reficisque, fouesque.
Tu facis, vt syluas, vt amem loca sola, meoque
Spiritus iste tuus semper capiatur ab ore.

Interpellauerat Cephali cantum nescio, quod tenue murmur; incertum, an gemitus dolentis esset, an ludentis auræ susurrus. Verè gemitus, & Procridis erat, quæ frondentibus non procul tecta virgultis obseruauerat virum; & ambiguis decepta vocibus amatam Auram inuocantis, despectam se inaniter dolens altiùs interdum singultiebat. Erigit se tacitus venator, aurésque, & oculos illuc attentiùs aduertit; cùm frondibus crebro motu concussis feram subesse opinatus, ineuitabile iaculum vibrat. Ah quò tendis immite ferrum? quò cadis ictus infelix? Tollit eiulatum saucia mulier; currit ad cognitam vocem præceps, & amens funesto casu Cephalus, & Procridem inuenit languida manu datum in propriam perniciem telum extrahentem è pectore. Heu me perditum exclamat! heu quam refero tristissimi venatus prædam! heu spiculum nimium certa feriendi fide vtentibus infidum! Si peccare debueras in Dominos, quid non potiùs hanc dexteram violasti, ne se tanto scelere

te-

temeraret? Tu ne chariſſima coniux mea manu, tuo munere peris? ò malè redditam tuis meritis gratiam! ò inexpectatam fati acerbitatem! Dum hoc flebili quæſtu inuoluntarium facinus excuſabat iaculator infauſtus, iacentem Procridem erexerat, ſciſſiſque veſtibus ligauerat vulnus. Sed fruſtra ſiſtere conatur fugientem vitam cum ſanguine, fruſtra ſemianimem ſolatur, miſcenſque verbis miſerantibus lacrymas inutilem veniam rogat. Illa defficientibus ſenſim viribus cadens poſtremos halitus in voces cogit, atque hoc vnum precatur, per eximium amorem ſuum, abeunte ſpiritu adhuc manentem, qui ſe ad eam mortem adegerit, ne vnquam in thalamum ſuum Auram ſuccedere patiatur, æmulam ſibi fatalem. Serò Cephalus errorem ſenſit: ſerò explicuit *ſine corpore nomen*, & leuiorem vento ſuſpicionem: idque tantùm profuit, vt illa certior de viri fide mitiori dolore moreretur, ipſe acerbiore luctu fidiſſimam coniugem fallente Aura extinctam deploraret.



DE

DIcendi primordijs, quibus ætates nondum Rhetorem capientes instituuntur Chriam Quintilianus *lib.* 1. *cap.* 9. annumerat; quæ est primum quoddam specimen Orationis; Nec eam texere illi difficilè fuerit, qui iam nouerit amplificare sententiam à Locis insitis, & remotis, & Factum exornare. Quamobrem his iam cognitis pauca supersunt de Chriæ institutione cognoscenda.

Quid sit, & quotuplex Chria.

CAPVT PRIMVM.



HRIA est, ad aliquod dictum, vel factum, vel vtrumque simul explicandum, certis capitibus composita Oratio. Quod attinet ad vim nominis, *Chria*, Græcum vocabulum, apud Latinos *vsum*, siue *vtilitatem* significat.

Triplex Chria est. Alia dicitur Verbalis, alia Actiua, alia Mista.

CHRIA VERBALIS est, quæ alicuius Authoris sententiam explicat: vt illam ex Tullio pro Mil. *Spes impu-*

nitatis maxima est illecebra peccandi: aut illam Plinij lib 3. epist. 20. *Multi famam, conscientiam pauci verentur*.

ACTIVA est, quæ circa factum versatur. Huius argumentum esse posset illud Pompei Magni, qui Legatus in Asia interceptus à Rege Illyricorum, cùm Senatus consilia prodere cogeretur, ardenti lucernæ cremandum digitum præbuit. (a) Aut egregium Spurinæ facinus, qui eximiæ pulchritudinis adolescens, cùm mira specie solicitaret fœminarum oculos, oris decorem sponte vulneribus confodit; ne violandæ pudicitiæ irritamentum esset. (b)

MISTA est, quæ factum, dictumque simul exornat. Tale est illud Anacreontis Poetæ, qui à Policrate Samiorum Tyranno quinque talentis donatus, cùm duas noctes egisset insomnes, acceptam pecuniam ad Policratem retulit: *odi munus* (inquiens) *quod vigilare me cogit*. Tale & illud Sigismundi Imperatoris, qui cùm ferre non posset, se ab adulatore supra modum euehi, similemque Dijs prædicari, putidam assentationem alapa repressit; cùmque dolens adulator quæsisset; *cur me cædis Imperator? cur* (ille respondit) *me mordes?*

Quot

a *Ex Val. Max. l. 3. c. 3.*
b *Ex eodem l. 4. c. 5.*

Quot, & quæ sint Chriæ Partes, seu Capita.

CAPVT SECVNDVM.

OCto sunt Chriæ Partes. Encomium, siue Laudatio, Paraphrasis, Causa, Contrarium, Simile. Exemplum, Testimonium veterum, & Epilogus.

ENCOMIVM est breue exordium, quod sumi solet à laudibus Authoris sententiæ, seu actionis, quam Chria suscipit exornandam. Laudes verò maximè propriæ esse debent, ac laudati meritis pares. Neque semper deducendum exordium puto à solius Authoris laudatione, sed quandoque à commendatione artis, scientiæ, siue virtutis, qua excelluit Author, vel ad quam sententia, siue actio spectat. Sic fiet, vt minùs arescant adolescentum ingenia, nec tam facilè repetant eiusdem Encomij cantilenam.

PARAPHRASIS, seu expositio, est clarior, & ornatior explanatio sententiæ, vel facti. Maximus hic vsus erit Expolitionis, ac Interpretationis; Narrationis quoque, ac Descriptionis, vbi Chria sit Actiua, vel Mista.

CAVSA est ratio, quæ sententiam

vel actionem assumptam probat. Hoc vtique præcipuum est Chriæ caput, in quo vis maior sita est; nec vna tantùm ratio, at plures, si opus fuerit, afferendæ, atque amplificandæ.

CONTRARIVM est argumentum, ab oppositis deductum: vt si ad commendandum silentium, damna garrulitatis ostendas.

SIMILE est idonea similitudo, propositæ rei explicandæ conueniens.

EXEMPLVM est commemoratio alicuius facti, ad rem præsentem accommodati.

TESTIMONIVM est vetustioris cuiuspiam Authoris sententia, ad suscepti argumenti confirmationem adducta. Rationem tractandi Similitudines, Exempla, ac Testimonia veterum, horumque formulas habes in Locis.

EPILOGVS est breuis totius Chriæ conclusio, quæ fiet, paucis dicta colligendo, siue repetendo sententiam propositam, siue commendando actionem; vel exhortationem ad virtutem aliquam sectandam, aut vitium fugiendum.

Partium nexus, siue Transitiones ab vno Capite ad aliud suggeret ipsa materies, à qua deductæ opportuniores erunt, quàm transcriptæ à promptuario Formularum. Harum tamen exempla

pla si velis, consule Caput de Transitionibus post Figuras.

Octo illa Capita Chriæ præscripsit Aphtonius. Ast equidem non improbauerim, quod Gallo, *Rhet. l.5.c.16.* aliisque placet, qui docent non debere semper totidem Partibus constare Chriam, eandemque methodum sequi; sed potiùs numerum ordinemque Partium variandum. Quid enim refert, si Testimonium ex. gr. omittas, aut præmittas exemplo, aut cum Epilogo misceas? Immò, cùm sit Chria Oratiunculæ species, multò laudabiliùs est eam variè contexere, quàm iisdem semper legibus vincire.

Interim tamen, vt communiorem viam insistamus, componendæ ad Apthonianas leges Chriæ rationem re ipsa doceamus. Exornanda ergo sit illa Senecæ Tragici sententia.

Peiora iuuenes facilè præcepta audiunt. In Thyeste Act. 2.

Initium de more desumi poterit ab Authoris commendatione, Senecam laudando, primis dignum subsellijs Poetam, qui non inanibus Musarum cantilenis animos emollit; quin Stoam locasse videtur in orchestra, & cothurnatam Philosophiam in theatrum induxisse: adeò cum tragici carminis grauitate prȩstantissimas coniunxit ple-

nasque sapientiæ magisterio sententias. Et quamuis penè impediat earum copia delectum, illa tamen præ cæteris occurrit, instituendæ vitæ apprimè vtilis, & ad rem nostram aptissima. *Peiora iuuenes facilè præcepta audiunt*. Hac enim admonemur cautè arcendam esse à malorum irritamentis primam ætatem, & ad recti, honestique studia maturè flectendam.

Paraphrasis fiet per Expolitionem, explicando procliuem in deteriùs iuuenum indolem, & suo quasi pondere præcipitem ad vitia; quorum vbi magistros, vel administros inueniunt, faciles illis adhibent aures, eorum nutu reguntur, votis obsecundant, vestigijs inhærent.

Causa, seu ratio, cur peiora iuuenes facilè præcepta audiant, esse poterit; quia feruidior iuuenum ætas impotentiùs flagrat æstu cupiditatum, quibus explendis libentissimè illi se dedunt; atque ideo sui similes amant nequitiæ suasores, & socios improbitatis. Qui fastum, qui luxum, qui ludos, prauasq; voluptates insinuant, hos in delicijs habent; congerrones, & combibones suos, vt fidissimos Achates, omniumq; horarum homines amplectuntur; hos tantùm audiendos putant vitæ licentionis authores.

Aliam

Aliam rationem suggeret imprudentia iuuentutis, quæ nondum vsu didicit infidam esse malorum societatem; cæca non videt, quot periculis pateat lubricus trames vitiorum; nec dum intelligit pretium virtutis; neque futura prospicit, breui præsentium fructu contenta.

A Contrario sententia confirmabitur, ostendendo, quàm difficiles se se iuuenes ijs præbeant, qui sanioribus monitis eos à prauis affectibus ad animi cultum, bonamque frugem reuocare nituntur. Eosne excitare contendis ad literarum amorem? surdis canere te puta. Ad studia pietatis inuitas? plumbeos esse iurabis. Temperantiam suades? te vt morosum, tetricique ingenij hominem auersantur &c.

Similitudo ab indomito equo ducetur, quem si solutum habenis prouoces ad cursum, dicto citiùs paret, ac per deuia, & auia summa pernicitate bacchatur; at si fræno coercere velis, & in rectum tramitem ducere, tum regiminis impatiens indocili ceruice reluctatur &c. non aliter iuuenes &c.

Exemplum dabit filius Salomonis Roboamus, qui spreta seniorum prudentia insanis æqualium suorum consilijs vsus, propè Regnum euertit, aut Nero, qui cùm sapientissimum insti-

tutorem haberet moralem Philosophum, posthabitis huius præceptis, libentiùs auscultabat nequissimos scelerum suorum fautores; quare vitijs omnibus inquinatus optimam, quam de se spem fecerat initio Principatus, fœdè corrupit, malo Imperij Romani fato, donec suis, sibique inuisus, monstrosam vitam ferro præcidit.

Testimonium ab Horatio desumetur, à quo tam verè, quàm elegantèr describitur Iuuenis. (a)

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.

Cera vtique mollior ad praua quæque facillimè flectitur, contumax ad recta.

Epilogus fieri poterit per Apostrophen ad Iuuenes, eos exhortando, vt ætati suæ meliùs consulant; & ne optimam perdant vitæ partem, improbos consiliarios eliminent, maiorumque prudentiam sequantur, vtiliora suadentem.

Chriæ graphidem hìc habes: pleniora nunc dabo Exempla.



CHRIA

a *De Arte Poetica.*

CHRIA VERBALIS.

Multò se ipsum, quàm hostem superare operosiùs est.
Ex Valerio Max. lib.4. cap. 1.

Si quis est in amplissimo Historicorum ordine, qui de posteris æquè, ac maioribus vtili apprimè styli opera egregiè meritus dici possit, is vtique arbitratu meo Valerius est Maximus, qui clariora Veterum facta simul, & dicta complexus, plurium historiarum elegantissimam scripsit epitomen; sparsa enim in aliorum paginas, ac diffusa ita collegit, vt sine longæ inquisitionis labore ab vno statim excerpere breuis lectio valeat, quod vix tandem in pluribus inuenisset. Quanta verò in tam varia eruditione iucunditas legentem oblectat, vno velut intuitu multarum ætatum, multarum gentium monumenta spectantem? Quæ Virtutum, ac vitiorum imagines, ita expressæ; vt horum turpitudo deterreat, illarum decor, & gloria ad imitandum accendat? Quæ vibrata identidem lumina sententiarum, quibus non tam historiam suam, quam lectoris animum illustrat? Vnam seligere placet è pluribus (elenchum puta ex Erythræo sinu

depromptum) aureis imprimendam characteribus, ac Ethicæ foribus præfigendam. *Multò* (inquit) *se ipsum, quàm hostem superare operosius est*.

Video quidem suboriri statim suspicionem posse, ne audaciùs fortasse locutus Valerius, mirabile paradoxum concinnarit. Immò (dices) quid tanti vendis Hyperbolem? an non vides philosophantis Historici dictum ab hominum fide, ne dum à communi opinione abhorrere? quis enim credat plus operis habere pacatam animi disciplinam, quàm ancipitem aleam belli? Miram oppidò fateor prima fronte videri sententiam: at si me audis, quàm miram, tam veram deprehendes, atque inter selectiora Sapientum axiomata referendam. Ita est: rem acu tetigisti Valeri. Multò difficiliùs est sine armorum strepitu debellare se ipsum, quàm hostem armatum cruenta in acie profligare. Summus hic est virtutis apex, hoc arduum opus, quod pauci strenuè aggrediuntur, pauci admodum constanter absoluunt; dum parta plenè victoria in se valeant libero rationis imperio dominari. Hoc totos exigit animi nisus, hoc vigilem solertiam, assiduamque contentionem exposcit; vt quisque se ipse maior in proprias cupiditates acerrimè decertet, pugnaque

per-

pertinaci affatim subigat, ne victum extra eos fines rapiant. *Quos vltra, citraque nequit consistere rectum*. (a)

Quòd si vniuersum percurras hominum genus, multos vtique numerabis bellico robore præstantes, qui edomita sæpiùs hostili ferocia, iteratos triumphi honores meruerint; raros, vel nullos, qui de se aliquando integrè triumpharint: atque adeò intelliges, quantò grauiores difficultates habeat intestinum hoc hominis in eundem hominem bellum, quàm quod in alios irato Marte tractatur. Quid verò difficiliùs, quàm in eum hostem pugnare, qui sit intimus nobis, communemque nobiscum habere causam videatur? Quàm arduum ita supra te assurgere, vt etiam in te insurgas; cùmque sis vnus, & idem, alterum in te spectare, cuius iura tuearis, alterum, cuius peruicaciam infringas? Nempe cùm sit vnicuique nostrum inditus amor sui, durum cuique videtur, seria in eum bella exercere, quem non amare non potest Noscendus ergo primum latens in nobis familiaris inimicus, apertisque simultatibus expugnandus. Nec vnus ille; sed multiplex, & versutus, ad vim æquè instructus, ac fraudem. Tot intus hostes habes, quot appetitus à ratione discordes. Cum his

a *Hor*. 1. *Serm. Sat*. 1.

conspirant fœderati sensus, quorum ministerio dum Princeps animus vtitur, perfidis irretitus obsequijs vel sponte cedit, vel rebellantibus seruis cadit imperio. Nec facilè est fraudulentas tot affectuum insidias declinare, qui fidissimo famulatu rei tuæ studere se profitentur. Tuarum vindicem iniuriarum, tuæ dignitatis tutricem ira se prædicat. Fortunæ ministram, tuorumque custodem bonorum auaritia se iactat. Solicita de procurandis tibi honoribus ambitio te mulcet. Vt omnibus excellas pro te feruet in æmulos inuidia. Gula, desidia, libido tibi vitæ commoda, tibi suauissimas aucupantur voluptates. Quis tam blandis hostibus decernat non segniter irasci? Quid ni vel rigidos exarment Alcides, & à claua trahant ad colum? Pauci Vlysses illecebrosis adeò Sirenibus aures occludunt. Pauci tanto animi robore valent, vt in domestica hæc lenocinia sæuiant, ac edomitas cupiditates rationi cogant ancillari.

Longè aliter se habet, cùm nos priuatus, vel publicus hostis lacessit ad arma; cùm irritamur offensis, cùm arcendæ à nostris finibus rapinæ, cùm à tectis, ac templis auertendum incendium, & Reip. salus, communisque libertas à discrimine vindicanda. Tunc

vtique

vtique omnes adhibentur vires iuxta; & artes. Tunc omnis ex armamentario bellica ſupellex depromitur: tela, machinæ, tormenta, quæ cominus, & eminus feriant, expediuntur in hoſtem, ferroque, & igne, & omnibus pugnatur elementis. Tunc in aduerſantes acies veriſſimis odijs res agitur, & ducum, militumque virtus generoſam quærit per tela, per vulnera victoriam. Quid quòd præter eos, quos ad bella vocat vel amor Patriæ, vel ardor gloriæ, plures etiam claſſicum inuitat ad prædam, & ſtrenuos auiditas facit? quàm multos ipſa neceſſitas, præſenſque periculum impellit, vt cùm diſtrictos vident in ſuum iugulum gladios, fortiùs audeant; vbi ſentiunt aut vincendum eſſe, aut moriendum? ita ſi rem attentè diſpicias, eadem cupido, eadem ira, quæ in nos implacabiles pugnant, nobiſcum pugnant in hoſtes.

Idem fermè nobis contingit, ac ijs, qui fluuiatili nauigio vehuntur. Facilis quidem illis eſt, & expedita, quandiu ſecundo amne vtuntur, immò properata, velox, præceps etiam nauigatio; nec velis, aut remis citanda, quam ſatis vrget rapidus aquarum curſus, decliui alueo labentium. At ſi retorquenda ſit in fluctus aduerſos nauis; rudentibus, ſcaphis, machinis trahenda

eſt;

est; contis,ac trudibus impellenda; tota lacertorum contentione certandum; & sæpè retardata, sæpiùs frustrata nautarum opera, dum relabuntur, dum vim instaurant, in reluctantis amnis contumaciam ægrè luctantes, vix aliquando ad optatum litus euadunt. Eadem propè ratione, cum tendimus in hostes, ad bella rapimur indole naturæ, quæ suadet infestis infestos esse; tueri, & repetere nostra; vim vi repellere; & illata damna vel inferentibus reddere, vel vltione solari. Cùm verò pugnam nobis ipsis indicimus, tum nitimur in repugnantium affectuum torrentem, nosque victos faciliùs trahunt improbæ procliuitates, quàm vincantur à nobis. Hoc itaque forti viro dignissimum, sed rarum facinus, contra tot intimos obices ad virtutem eniti.

Quot iactat inclytos Duces Martialis gloria, qui validissimis hostibus sub iugum missis attamen laureata iacuere cupiditatum mancipia? Alexander ille domitor Asiæ, ille gentium terror, qui paterni Regni non clausus angustijs imperium extendit in Persas, Hyrcanos, & Indos, cuius armis laxandi fuerant rerum fines, nec vnus suffecerat orbis, non ne le temulentiæ, iræque furoribus turpissimè victum ingemuit? Vbinam Macedo inuicti pectoris robur?

bur? Vbinam ille animi vigor, quo per immensos terrarum tractus quæsiuisti, quos vinceres? In te habes, quæ vincas. Tot barbaris nationibus frænum iniecisti, rebellantem iracundiam frænare non potes; & quem nulli fregere conatus bellorum, ebrietas poculis debellat? Iam plùs animi, quàm corporis vulneribus castigatus diuinitatis opinionem dedisce; nec satis te magnum intellige, qui nondum te ipsum in libertatem asseruisti.

Nimirum quantumuis præclarum sit palmas numerare pares, ac pugnas, ac in deuictos populos longè, latèque dominari; oppressa tamen vitiorum iugo potentia triumphat, & vincitur; dominatur, & seruit. O quàm magnis homines erroribus tenentur (exclamare cum Seneca (a) liceat) qui ius dominandi trans maria cupiunt mittere, feliciſſimosque se iudicant, si multas per milites Prouincias obtinent, & nouas veteribus adiungunt, ignari quod sit illud ingens, paratumque Regnum. *Imperare sibi maximum imperium est.* Hanc à morum magistro sententiam hausisse videtur Lyricorum Princeps Horatius, cùm cecinit.

Lat

a *Senec. epist.* 113.

Latiùs regnes, auidum domando
Spiritum, quàm si Lybiam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.

At quorsum aliundè suffragia emendicem? cùm Sapientissimi Regis confirmet authoritas, (a) *Viro forti patientem, & eum, qui dominatur animo suo vrbium expugnatori* præstare?

Detumescite itaque superba capita, quorum omnis fortitudo in ferro est. Fortiùs pugnatur in virtutis acie, quàm Martis. Ita rectè censuit Valerius multò operosiùs esse superare se ipsum, quàm hostem. Quin si vos ad summa, & ardua impellit gloriæ, & imperij cupido, Seuerinum audite. (b)

Qui se volet esse potentem.
Animos domet ille feroces.

Alioquin suis affectibus imperare *non posse, potentia non est.*

CHRIA ACTIVA.

Innocentius IX. Pont. Max. Mortem ad consultationem adhibet.

Ex Ciacconio in Vitis Pontificum tom. 4.

O quantùm desipis profanæ Politiæ sagacitas, quæ arcana consilia, vel quæris à Tacito, vel profunda machinatione

a *Prou.* 16. b *Seu. Boet. de Consol. Phil. l.* 3. *Metr.* 5.

ne ſcrutaris! Non te ad aulam Tiberij, ſed ad Sacri Principis penetrale, tanquam ad certioris prudentiæ ſcholam inuito; vbi ſine captioſis verborum ambagibus mors tacita magiſtra eſt. Hanc in grauioribus rerum momentis conſulit Innocentius, hanc præ oculis habet, hanc figit in animo; & ne vnquam ab animo, vnquam abſit ab oculis, familiarem, ac domeſticam in Vaticanum acciuit. Innocentius inquam, morum grauitate, doctrina, dignitate ter maximus, omni humana magnitudine maior, in hoc tam ſublimi faſtigio mortem adhibet conſultricem.

Is in ſecretiori cubiculo geminas tabellas inuicem connexas, atque in ſpeciem libri plicatiles collocauerat: in quarum altera nudam hominis caluam, in altera funebrem apparatum expreſſerat imitata veriſſimam rerum formam pictura: Tales imagines in ſplendida ſupellectile, quæ Pontificium Conclaue deceret, veluti pretioſiſſima ſigna ſeruabat. Harum frequenti aſpectu ad vitæ regimen vtebatur, nihil decernere, nihil aggredi ſolitus, quin priùs attentiore obtutu ex triſti earum ſilentio reſponſa captaſſet. Erat is vtique vir acer ingenio, aſſiduiſque ſtudijs, & rerum vſu inſtructiſſimus. Aderant illi Purpurati Senatus grauiſſima

capita, viri aderant omni literarum genere præstantes, aderant eruditæ lucubrationes, & fidissima scriptorum subsidia, à quibus lectitandis nunquam cum tanta curarum mole feriabatur. At sentiebat (vt verè est) Sapientissimus Pontifex, in rebus agendis prudentis esse respicere finem; nec aliundè sincera magis, & salutaria consilia, quàm à seria mortis meditatione hauriri.

Et certè seuerissimus viuentium pædagogus mors ipsa est, vitiatæ naturæ à clementissimo Iudice ad pœnam simul datus, ac disciplinam; vt lapsos in deterius mores castiget, & rebellantes hæreditariæ culpæ solicitatione cupiditates suo terrore compescat. An verò quisquam est, qui si mortalem se esse meminerit, atque hospitem interim, ac peregrinum degere in terris, non protinus ista fastidiat, quorum tam breuis, tam incerta possessio; quæ postmodum, nisi spontè dimittat, inuitus relinquet, in alias oras, æternasq; sedes euocandus? Quis est, qui si mentis aciem in sepulcrales vmbras defigat, in se algere non sentiat libidinum æstus, deferuere iracundiam, auaritiam languere, stupere ambitum, frigere immoderatos intereuntium rerum appetitus, quæ cum instabilis vitæ fu-

ga pari passu labuntur? Age quicunque es fortior Achille, Cæsare felicior, ditior Crasso, conijce oculos in funebrem vrnam, & vide, quò mortalium fastus, quò potentia decedat. Superstes è tam spectabili pompa cineris pugillus docet, quàm inania sint illa, quæ in tam leue soluuntur, exiguumque elementum. Hæc si tecum expendas, an non statim animum ea subit cogitatio, quæ te à præsentium amore ad futurorum curam detorqueat? Quorsum (inquies) fugacissimis rapior oblectamentis; cur tanti emo voluptates infidas? quid putre corpusculum opiparè pasco, splendidè vestio, delicijs foueo, propediem soluendum in sordes? quid est, cur opibus congerendis insudem, quæ domino cuicunq; paratæ deserant abeuntem, nudumque relinquant in saxo? Cur tantis laborum impendijs auram gloriolæ capto mox ad superstitem famæ rumusculum surdus in tumulo futurus? quorsum hic aulæ, curiæ, forique strepitus, quorsum hæc ambita honorum supellex laurea, curulis, trabea, sceptrum, quæ statim puluisculus teget, vltimusque dies cum inglorijs vomeribus, marrisque miscebit? Surge anime ad illa, in quæ morti ius nullum est. Desine falsi breuisque fulgoris lampyridas consectari. Despice non man-
sura

ſtra tecum lutulenta hæc impedimenta; atque ita mortalia ſint in vſu, vt ſola æterna in pretio ſint, & in voto. En quæ ſana conſilia mors inſinuat, ſi conſultorem habeat, non incurioſis, auribus auſcultantem.

Sed heu quàm raros conſultores, quàm paucos auſcultatores habet hæc morum præſentiſſima moderatrix! heu cæcas hominum mentes, tam denſa caligine laborantium; vt inter circunſtantes vndique mortis imagines mortalitatis obliti ſe ipſos ignorent! Quoties illud, atque vtinam non fruſtra, ingerendum eſt. *Memento te hominem eſſe?* Ita pleroſque faſcinat ſiue dulcedo voluptatum, ſiue blandientis aura fortunæ, vt velut in firma ſede beatitatis collocati teneri ſe vel non ſentiant, vel non meminerint communi lege naturæ. Hinc vbi animum inuaſit hæc ineuitabilis fati obliuio,& ex obliuione naſcens inſania, quid ni ſe in omnem vitiorum licentiam remoto tam forti repagulo præceps effundat? Quid eſt quòd nullis clauditur finibus auida Tyrannis, vrbiumque direptiones, vaſtationes agrorum, populorum clades, incendia, rapinas, excidia Regnorum vſurpat, ad potentiæ, & gloriæ incrementa? quid quòd auri cupido diuina, humanaque iura conculcat, proſcribit

à com-

à commercijs fidem, à tribunalibus iustitiam, ab amicitia sinceritatem, à necessitudine pietatem? quid est quòd amplissimo terrarum ambitu vix capitur immanis, exlexque superbia, quòd turritis ædificijs Cœlo minatur, substructionibus immensis penè adimit ciuibus Patriam, latifundia violatis finitimorum limitibus in Prouincias extendit? quid quòd intemperantia, & luxuries impudenter exultant, nulla integritatis, nulla honestatis reuerentia, vitæque spatijs, tanquam flagitiosissimis ferijs abutentes, enorme continuant Bacchanalium tripudium? Vndenam hæc tanta scelerum colluuies, nisi ex obliterata mortis memoria? quam qui prorsus ex animis deleuere, quid mirum est, si per nefas omne ad ea tantum inquirenda, & comparanda ferantur, quibus viuentes emineant, regnent, affluant, excellant, fruantur; velut æternùm victuri? Non alio sanè illicio, quàm vana spe immortalitatis versutissimus ille coluber primos nostri generis parentes in scelus induxit. Et quanuis exitialem fallaciam tandiu docuerit euentus, adhuc illam nobis obtrudit cæcitas nostra, nec satis declinamus antiquam fraudem, nisi statutam viuentibus irreuocabili sententia mortem frequenti meditatione consulamus;

Maximo itaque diuinæ prouidentiæ beneficio euenit, vt mors eadem, quæ fuit supplicium culpæ, fieret eadem culpæ remedium. Obiecta enim huius memoria feruentes impetus animi repressit, ne præscriptos legum margines transilierent. Vides ne quas tumido elemento compedes posuerit sapientissimus artifex rerum? Furentes illius æstus minutissimis compescuit arenis. Cùm ebullit immaniùs, cùm liuentes fluctus attollit, cùm vndas collidit vndis, cum validiori ventorum conflictu inhorrescit, itaque atrociore despumans finitimis terris naufragia minatur, vbi attigit arenosum litus, in se recedit, furoremque suum resorbet. Ita prorsus exæstuans humanarum cupiditatum pelagus tenuissimo cinere Diuina Sapientia marginauit. Cùm prauis motibus agitatus animus (a) *tanquam mare feruens* insanit, vt læthalem impingit in puluerem, *hic tumentes fluctus suos confringit*. (b)

Cur longæuus Eremi cultor Iacobus (c) post exactam in eo recessu maximam vitæ partem, iam canus, nondum securus, proprijs eruditus periculis viuum se condit in tumulo? Iactatus criminum procellis, naufragus, ac

a *Isa.* 57. b *Iob* 48. 11.
c *Ex Simeone Metaphras.* 13. *Ianuarij.*

ac propè demersus, denique ad hoc postremum litus, quanuis quassata rate, confugit. Hìc tutissimum portum, hìc fidam stationem inter albentes caluas inuenit; ac libidinum tempestates, quibus retundendis non ante suffecerat solitudinis austeritas, annosa virtus, ætas deuexa, sepulcri puluisculo refrænauit.

Noueras efficacem cineris nostri virtutem Sanctissime Pontifex Gregori, cui grauissimum addidisti sententiæ tuæ calculum; cùm *perfectam vitam mortis esse meditationem* docuisti. (a) Qui enim seriò se meminit mortalem, tanquam moriturus viuit, vt moriens viuat.

Superest igitur, vt quicunque de rectè instituenda vita cogitat, Innocentium secutus, tetricam eam consulat, sed fidam indicem veritatis; à qua irretortam agendi normam percipiat. Suspecta siquidem, & fallacia esse possunt hominum consilia: mors nunquam consulentem fefellit.



CHRIA

a *L.* 12. *Moral*,

CHRIA MISTA.

Cornelia Gracchorum mater Campana matrona filios ostendens: Hæc, inquit, ornamenta mea sunt.

Ex Valerio Max. l.4 c.4.

Vtinam possem eximiam illam Zeuxidis artem assequi dicendo, qui Penelopis mores pinxisse dicitur cum vultu. Vtinam ita possem exquisitis eloquentiæ coloribus mentis vnà, frontisque tuæ grauitatem dignè referre ò sexus, & sanguinis, & Patriæ decus Cornelia. Vellem equidem mollibus hodie Gynæceis imaginem tuam ostentare pro speculo, cuius fortasse monitu cagitata fœminea leuitas ab operoso sui mundi cultu ad meliora studia verteretur. Spectate hoc Romanæ virtutis exemplar o matres; atque intelligite non aurum, ac purpuram, non pictam, gemmatamque vestem; sed liberaliter institutam sobolem esse vestræ dignitatis argumentum. Hoc vno gloriabatur illa genere, & coniugio illustris, moribus illustrior Cornelia: hoc pretiosissimum esse docuit genitorum ornamentum. Quod quanuis veteri fama, & historiæ commendatione notissi-

tissimum audiuisse vos non semel, ac legisse opinor; non inutile tamen fore puto, nec iniucundum in memoriam reuocare.

Romam diuerterat hospes Corneliæ matrona. Campana hæc erat, atque de more gentis ad summum lautitiæ apicem luculenter instructa. Et nobiliori fortasse choragio tunc pompæ scenam ornauerat, quæ in amplissimo Vrbis theatro spectari à Quiritibus mereretur. Cirrata, cristata, cerussata, delibuta vnguentis circum halante Seplasia patriam redolebat. Fluebat è collo in sinum nitidissimis vermiculatum lapillis aureum monile; nec minori pretio radiabant aures, ac manus. Attalicam cycladem diues bacca distinxerat, cuius illa sinuosam laciniam testudineo gradu superbè thraens exigere, ne dum expectare, videbatur ab intuentibus obsequia. Vt verò gaudet muliebris ambitio se, suaque impensiùs iactare, præter opulentiam, quam veluti vulgarem mercem in omnium conspectum profuderat, hospitæ suæ lectioris thesauri arcana expandit. Hyacinthinas, & smaragdinas pigmentorum pyxides è myrothecijs depromit; annulos è Dactyliothecis insignes, latiore pala solidis adamantibus fulgurantes: ex argenteis, eburneisque loculis armillas,

torques, inaures, & inuidendas Cleopatræ margaritas. Iam abundè pretiosa ostentatione Corneliam lassauerat, dotalis apparatus diuitias, & missa in compendium patrimonia stomachantem veriùs, quàm mirantem; cùm illam Campana rogat: ecquid adhuc moretur gazam itidem suam reserare, dignosque coniuge Gracchi, & filia Scipionis ornatus proferre, quos auidissimis oculis expectet? Annuit illa, spondetque mox voti compotem plenissimè futuram. Sed grauioribus intenta curis prudens matrona longè aliò spectabat. Curiosam itaque fœminam diductis in diuersa sermonibus tandiu tenet, donec filij redeant à schola: tum accitos egregiæ, cultæque indolis puellos coram hospita sistens: Iam ne thesauros (inquit) meos non vides? En opes, en elenchos, en ornamenta Corneliæ. In amplissimis laribus pretiosiùs nihil habeo, charius nihil. O dignam Romana heroina vocem! o prudenter factum, dictumque sapienter! Ita lusit ambitiosæ mulieris importunitatem, & parentes admonuit, non à supellectilis pretio, non ab opulentia, & luxu; sed ab ingenua liberorum educatione gloriam esse quærendam.

Enim verò leuis admodum ille fulgor est, qui ab auro, gemmisque venit,

ac perperam in his cumulandis laborant ſtudia parentum; niſi enitantur, vt eorum, quos alunt, futuros rerum ſuarum, ac nominis hæredes, ingenia, & mores effulgeant. Nec aliunde certius familiæ decus; quàm ſi filios à vitæ limine inſtituendos paterna ſolertia ſuſcipiat, proſpiciatque, vt liberalibus diſciplinis initientur, & in ſpem ſummæ Virtutis, ac dignitatis adoleſcant. Mollior enim illa ætas in omnem flexilis partem facilè recipit quaſcunque imprimit inſtitutio imagines, & altè ſeruat impreſſas: quamobrem exculta bonis artibus pueritia ornatiſſimæ virilitati præludit, vt vernis floribus vinea fœcundam autumnitatem pollicetur. Quæ igitur illuſtrior, aut quæ vtilior eſſe poteſt parentum cura, quàm quæ rudibus filiorum annis exornandis impenditur in ſecuturæ vitæ præſidium, ac decus? Infuſa illa cum lacte pietas, tradita in crepundijs rudimenta virtutum, inchoatum in prætexta ſapientiæ tirocinium, illa denique viros formant omni laude præſtantes. An verò quidquam pulchrius in domeſtico ſplendore ſpectandum genitores habent, quàm vernantia hæc germina gloriæ; præſertim, ſi non alienæ tantum operæ debeant, ſed culturam ipſi adhibeant ſuam? Quantumuis enim exquiſita

eruditorum, grauiumque hominum magisteria desudent in scholis, nihil æquè proficit ad filiorum indolem excolendam, ac si domi eos habeant institutores, quos natura suadente reuerentur, & amant. Infantes certè videmus, quanuis caligante inter incunabula ratione, iam parentum obseruare nutus, ab eorum ore pendere, ad minas, vel blanditias tenellos vultus effingere, & adhuc sermonis ignaros ad eorum tamen voces responsa conari. Nempe, vt in filijs iconem suam intuentur Patres, ita filij exemplaria sua spectant in Patribus, quæ posita quotidiè ante oculos altiùs mentibus infigunt; vt morum æquè, ac membrorum paribus lineamentis se se ijs conforment, quibus debere se sentiunt huius lucis vsuram. Prima itaque rectæ institutionis doctrina spectata est in genitoribus probitas, & virtus; quæ liberis ducem se præbet, ac sequaces facilè trahit, vel certè degeneres esse non patitur. Ita iure lætari opere suo parentes possunt, suosque omnino sibi filios gratulari; si quorum corpora procrearunt, animos etiam generosa educatione formarint. At quantò præclariùs est, benè viuendi rationem dedisse, quàm vitam? quid gloriosiùs, quàm optimos Reipublicæ

ciues, integritate, consilio, sapientia, fortitudine præstantes non solùm genuisse, sed fecisse; atque ideo meruisse non vnius tantùm gentis, ac Patriæ patres appellari?

Non eam profectò gloriæ segetem, immò ne minimum quidem bonæ frugis expectent genitores à filijs, quorum pueritiam sine vlla culturæ industria syluescere, aut malignis vitiorum germinibus luxuriare patiuntur. Atque vtinam huius ingenij homines complures non essent, Megarensium laborantes incuria, quos acriter Cynicus arguebat, pecora seruantes diligentiùs, quàm filios. Aliquos video ita sui muneris oblitos, vt vix recordentur se patres, nondum ab infantia dimissos pusiones, iam velut emancipatos, effræni libertate donare: plures totam in eo curam locare, vt diuites potiùs efficiant, quàm bonos: plerosque peruerso amore fouere in gremio deliciarum molles, insulsos, ignauos. Quales denique viros futuros putem tam infelicibus vitæ auspicijs educatos? Quæ magna, quæ illustria de illis præsagiam, qui per fora, per compita, per tabernas, ac theatra vagi diem totam, paterna scilicet indulgentia, leuissimis voluptatibus conterunt, nihil meditantes præter cupedias, & ludos? Qui

pulchelli, nitiduli, cincinnatuli, toti è capsula, ijdem tamen feroculi, Martes nimirum impuberes è Phrygia, ferro latus obarmant, spectarique ambiunt, ac timeri? qui parentibus non annuentibus tantùm, at festiuissimè plaudentibus, frequentiùs cum saltatriculis versantur, quàm cum musis; fritillum, & aleas acutiùs versare docti, quàm libros? Hos ne à matris blanditijs, à mensis, à choreis, à plumis gloria tandem recipiet in sinum? Hi ne familiæ, ne dum patriæ, vllum afferent incrementum honoris? Hos fortè amores suos genitores appellent, nunquam iustè ornamenta vocauerint; immò veriùs labes, nullo satis tegendas auro, diuque mansura socordiæ suæ simulacra.

Vt enim pictorum, sculptorumque præstantiam colligere solemus à tabulis, ac signis; ita patrum indolem conijcimus à filijs: nec fallaci plerunque coniectura; cùm instar monstri sit, si dissimiles vel nascantur, vel fiant. Quis enim tritissimum illud nesciat, non erumpere rosam è squilla? Stirpem flosculus probat, fructus arborem, vnio concham. Nec aliter Genitores liberi commendant; illi videlicet, in quibus impressa eorum virtus elucet. Ad mutuas horum laudes omnium ore fre-

quen-

quentiùs audies acciri Venusinum Poetam, quasi locutum à tripode. (a)

Fortes creantur fortibus; nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ Columbam.

Verùm non sufficit Aquilæ Aquilinos genuisse pullos; *nisi luce magistra*.

(b) *Naturam, vires, ingeniumque probet.*

Neque satis est magnis alioquin viris suo sanguine satos recensere; nisi eosdem se dignos educatione perficiant. Gloriabatur Achille suo Peleus: at sapientissimos illi præceptores adhibuit Chironem, & Phænicem. Mirabatur magnanimum filium Philippus; at eidem Philosophicis præceptis erudiendo Lycei principem accersiuit. Lætabatur Arcadio, & Honorio Theodosius, in quibus Imperij Romani spem geminam educabat: ast alteri selectum è sacrorum, doctorumque hominum flore magistrum quæsiuit Arsenium; alterum reptantem per scuta puerum

Inter laurigeros aluerunt castra triumphos. (c)

Ita consuluere dignitati suæ cordati Patres; vt æstimari possent à liberis, in quibus ipsi viuere ornatissimi laudibus

R 4

a *Hor. 4. Carm. od. 4.*
b *Claud. in Præf. in 3. Hon. Consul.*
c *Idem de 3. Hon. Cons.*

bus viderentur. Adeò verum eſt, & quotidiano vſu compertum, quod in ſacris habemus Oraculis. *Virum in filijs ſuis agnoſci*. (a)

Quæ cùm ita ſe habeant, certo certiùs liquet, inſtitutos optimis diſciplinis filios eximio eſſe Patribus ornamento; eorum proindè pueritiam ſolicita cura colendam: vt iacta in primos annos virtutum ſemina, vbi maturior ætas acceſſerit, in vberrimam honoris meſſem aſſurgant.



a *Eccli.* 11. 30.

DE EPISTOLIS CONSCRIBENDIS.

LIpsij consilium in Epistolica institutione sequor; cùm mihi æquè propositum sit scripturis literas adolescentibus præire compendio (vt ille ait) ad vsum, non ad speciem; nec vt omnia, quæ ad rem, sed quæ in rem maximè, dicam. Quare missa faciam complura, quæ de Inuentione, Dispositione, Elocutione, deque tribus Causarum Generibus diffusè tractari ab aliquibus hîc solent: quasi ab Oratione nihil Epistola differat, & huc omnia congerenda sint Rhetorum præcepta. Ex his igitur pauca vix delibabo: nam & si plura desideras, in hoc eodem libello suis locis inuenire potes; nec tam multa requiri sentio ad hæc initia scribendi; cùm operosum nimis artificium non exigat Epistola, præsertim familiaris (cuius prima nobis cura est, & frequentior vsus) tantò laudabilior, quantò simplicior. Satis igitur mihi nunc fuerit incipientibus consulere; compendiarijs istis præceptionibus; quibus si nondum acquiescis, confugies ad opusculum P. D. Vincentij Galli, vel perutilem libellum Simonis Verepæi de conscribendis Epistolis, aut vberiorem aliorum doctrinam: quanuis absolu-

tissimam Epistolarum artem, arbitratu meo, non tam schola dabit, quàm accedens annis prudentia, & præter literarum studia, rerum humanarum cognitio.

Vnde dicta sit Epistola, quid sit, & quæ illius materia.

CAPVT PRIMVM.



PISTOLA, *Græca vox, at pridem à Latinis communiter vsurpata, idem significat*, ac *missoria*, seu *missa*, (a) hinc diminutiuum nomen *Epistolium* pro parua Epistola. A mittendo itaque dicta est, quòd ad absentes mittatur, cùm ideo Tullij testimonio inuenta fuerit, vt certiores faceremus absentes, (b) si quid esset, quod eos scire aut nostra, aut ipsorum interesset.

Latini *Literas* vocant, plurali semper numero; Poetæ singulari etiam vtuntur, Literamque pro Epistola ponunt; ita Ouidius. *De Tristibus lib.3.eleg.7.*

Vade salutatum subitò perarata Perhillam
Litera, sermonis fida ministra mei.

Prisci

a *Isid. lib.7.Orig.* b *Cic, l. 2, Epist. 3.*

Prisci tabulas, tabellas, codicillos à materie appellauere; nam ante membranæ, & chartæ vsum in dolatis ex ligno codicillis Epistolæ scribebantur: hinc earum latores Tabellarios vocauerunt. Eadem ratione Ceras pro Literis inuenies, ab illitis Cera pugillaribus, in quibus scribere mos erat.

Definitur *EPISTOLA absentis cum absente scripta quadam sermonis imago, quæ vocis, ac linguæ vicem gerit.*(a)

Epistolæ materia est quidquid in eiusdem argumentum sumitur, seu propositum scribenti thema. Ea itaque multiplex est, nec minus latè, quàm hæc vita, patet. In triplicem tamen Lipsius diuidit, Seriam, Doctam, Familiarem. Seria grauiora continet de statu rerum, de militia, de pace; quæque ad mores, & officia pertinent; vno verbo, quidquid paulò magis seriò scribimus.

Docta complectitur, quæ ad scientias, ad variam eruditionem, ac amœniorum literarum studia spectant.

Familiaris tangit res nostras, aut quæ circa nos sunt, & in assidua vita versantur; hæcque creberrima, & propria est Epistolæ materies; quanuis seria, & docta sæpiùs immisceatur, va-

a *Ex Demetrio de Elocut.*

riumque ſit illi plerunque, nec ſimplex argumentum.

Quot, & quæ ſint Epiſtolæ partes.

CAPVT SECVNDVM.

EX Epiſtolæ partibus aliæ *CERTÆ* ſunt, aliæ *INCERTÆ*.

CERTAS voco Epiſtolæ proprias, quæ ſemper eædem, aut penè eædem, quaſi ex formula ſeruantur, eæque ſunt: *SALVTATIO, VALEDICTIO, ADIECTIO LOCI, ac TEMPORIS,* quo data eſt Epiſtola, *SVBSCRIPTIO, & INSCRIPTIO EXTERIOR, ſeu SVPERSCRIPTIO,* haſque in ſequenti capite explicabimus.

INCERTAS dico, quæ ſunt Epiſtolæ, & Orationi communes, de quarum numero, ac ordine vel nihil, vel vix aliquid certi præſcribi poteſt; cùm maximè libera ſit Epiſtola; inſuper varia pro diuerſitate materiæ: nunc enim circa vnum occupatur, nunc vagatur in plura, modò breuior, modò prolixior. Aliquando ſimplex narratio eſt, vel expoſitio rei, de qua certiorem facimus amicum; quod ſæpè in familiaribus contingit; quandoque aliqua argumentatione vtitur, ad rem probandam, ſuadendam, vel diſuadendam;

quod

quod in serijs, ac doctis euenit; tumque Oratiunculæ speciem imitari posse non negauerim, quæ constet Exordio, Narratione, Confirmatione, & Epilogo; dum has partes non tanta cura, & vbertate tractet, vt Declamatio potiùs videatur, quàm Epistola. Immò Demetrius Phalareus censuit longiores Literas, quæ Oratione assurgunt, quæ grauiora, quæ docta continent, operosas, lucernamque redolentes, Epistolæ naturam exuere, potiùsque Præfationes esse dicendas, ac nimia prolixitate abire in volumen; quod ait Aristoteli ad Alexandrum, & Platoni, ad propinquos Dionis scribendo, vsu venisse: quanuis aliter senserint grauissimi Scriptores, qui serias, doctasque lucubrationes Epistolarum nomine vulgauere.

Grauior igitur, & plenior Epistola enumeratis illis partibus constare potest.

Exordium est prima Epistolæ pars, quæ salutationem sequitur, & vel apertè, vel per insinuationem beneuolentiam captat, aditumque aperit ad ea, quæ dicenda sunt; nisi aliquando præstet sine vlla præparatione ex abrupto exordiri. De Exordio, singulisque partibus Orationis vide, quæ in secunda parte tractantur.

Nar-

Narratio est totius Epistolæ summa, quæ illius argumentum explicat, & scribentis mentem.

Confirmatio opportunis rationibus vtitur ad rem propositam confirmandam, finemque scribentis obtinendum; & si opus est, quæ obijci possent, per Confutationem refellit.

Epilogus est Epistolæ conclusio, quæ paucis verbis beneuolentiam, vel obsequium testantibus, fieri solet; vel breuitèr dicta complectitur, & claudit. Demus exemplum.

Scribenda sit ad amicum, inuitis parentibus peregrinantem, Epistola hortatoria, qua illum reuoces in Patriam ad maiorum obsequium, & ad pristina studia recolenda.

Exordium ducere poteris à significatione constantissimi amoris, qui nulla minuitur distantia locorum; quin stimulis acrioribus animum vrget, qui charissimi amici consuetudinem eò impatientiùs desiderat, quò diutiùs abest.

Hinc ad Narrationem descendes, explicando conceptum ex eius importuna peregrinatione mærorem, quem lenire nunc aliter nequeas, quàm confugiendo ad Literarum subsidium, quæ suppleant negata colloquia: has ideo a te mitti sinceræ beneuolentiæ testes; quæ non characteres distantis pro respo

ponso expectent, sed reducis voces, & optatissimum aspectum: proindè, si te, immò se ipsum amet, rebusque suis consultum velit, reditum maturet in Patriam.

Pro Confirmatione rationes afferes, quibus regressum suadeas, quæ duci poterunt ex. gr. à consequentibus inopinatum eius abscessum; cuiusmodi sunt communes domesticorum questus, amantissimæ genitricis lacrymæ, senioris patris angores, non secus, ac in misera orbitate, languentis: solicitæ amicorum omnium curæ, qui pericula, & incommoda peregrinationum expendentes, sinistri semper aliquid metuunt absenti. Quid enim non timendum incauto adolescentulo, qui rerum, locorumque ignarus per incognitas terras, alienasque gentes vagetur? Quod si cætera salua sint, nihil ne faciendum putet ingenij detrimentum? ita ne contemnat indolem suam, & egregiè susceptos in literarum studijs labores? &c.

Si confutatione vti volueris, præuenies, quam afferre posset, speciosam excusationem: non esse videlicet, cur tibi memoret, sapientes, piosque viros, qui procul à Patria peregrinam virtutem quæsierint. Summam sapientiam, summamque pietatem hoc ætatis esse,

genitoribus obsequi, pendere à maiorum nutu, seque his tradere formandum.

Tandem Epilogo Epistolam claudes, adhibita deprecatione, qua enixè amicum obtesteris per mutuæ charitatis officia, per iura naturæ, per quidquid amicis, parentibus, Deo debeat, vt se suis, se sibi reddat.

Hæc dicta sint ex.gr. Sed ne putes hac semper methodo texendam Epistolam; eùm, vt initio monui, non semper easdem partes habeat, nec certum ordinem seruet: immò ipsam rerum scribendarum dispositionem in Familiaribus Literis non solicitè nimis curandam Cicero ad Atticum, & Lipsius docuere, quandamque potiùs negligentiæ speciem laudari, quæ nullum præseferat artificium; in Serijs, & Doctis magis de ordine satagendum; sed ita, vt oratoriam diligentiam non æquet.

De partibus Epistolæ proprijs.

CAPVT TERTIVM.

SALVTATIO ex veterum more præcedit, quæ tria continet. Primò scribentis, hinc illius, ad quem scribitur, nomen, & salutem; vsitatis illis, vel similibus formulis. *Tullius Hortensio salu-*

salutem. Hortensius Tullio suo salutem, vel S. P. D. hoc est *salutem plurimam dicit*. Recentiores ordinem inuertere, scribentisque nomen secundo loco ponunt: ex. gr. *Eruditissimo viro Iusto Lipsio Ericius Puteanus salutem, vel felicitatem*. Quandoque nomen tantùm præmittunt illius, ad quem datur Epistola; in dandi casu; siue proprijs nominibus ommissis, titulos tantùm adhibent, & appellatiua honoris inuocandi casu: *vt Illustrissime Domine: Excellentissime Princeps*. Tum verò subscriptio necessariò addenda in Epistolæ fine, quæ nomen scribentis explicet.

VALEDICTIO claudit Epistolam vel simplici verbo *Vale*, quod solenne fuit antiquis; vel huiusmodi alijs dicendi modis: ex. gr. *Cura, vt valeas. Te, tuaque superi fortunent. Te diutiùs ad publicam felicitatem Deus incolumem seruet. Diu, ac feliciter viue, patriæ decus, literarum præsidium*.

Tullius *epist. 2. lib.* 14. ad vxorem, & filios ita clausit. *Valete desideria mea, valete*.

Sæpe in postrema literarum clausulæ ex Christianæ pietatis instituto nos amicorum precibus commendamus, illisq; vicissim à Deo bona omnia precamur.

ADSCRIPTIO loci, ac temporis post

Va

lis, quos exigit personæ gradus ex more nationum, ac temporum. Et quanuis intus Latinè loquatur Epistola, exteriorem inscriptionem vernaculam esse malim, quam sine interprete intelligant tabellarij, ac serui.

De Stylo Epistolari.

CAPVT QVARTVM.

QVàm dispar Epistolis argumentum est, tam varia Elocutio. Generatim ea sit, quæ sincerum scribentis animum deceat, non tumida, non fucata, elegans tamen cum proprietate, puritate, & claritate. Venustas præterea accedat, quæ gratissimas legenti Literas facit. Hæc verò non tam arte datur, quàm natura: cùm enim diuersa sint hominum ingenia, quorum vix vlla expressior imago est, quàm Epistola; vt non eadem loquentibus gratia sermonis, ita nec idem scribentibus lepos. Iuuabit adagia, allusiones ad veterum dicta, vel facta, versiculos, argutasque sententias interdum inserere: iocos, & sales opportunè immiscere, quos animam, & vitam Epistolæ Lipsius appellat.

Longior Periodorum tractus euitandus: membrisque potiùs, & incisis vtendum.

dum. Allegorica præterea phrasis abdicetur: parca, & pura oratio sit, necessaria verborum supellectile contenta; nihilque habeat omnino, quod affectationem, aut putidam assentationem sapiat.

Cæterùm accommodandus est materiæ stylus. Familiares, quæ de leuioribus agunt, quotidianis verbis texi docuit Cicero (*Lib. 9. Epist. fam.* 21.), quare in humili dicendi genere consistunt. Mediocri plerunque charactere vtuntur, quæ ad officia pertinent; vt, Commendatitiæ, Gratulatoriæ, Gratias agentes &c. Seriæ, quæ in magnis, grauibusque versantur, & doctæ, ad sublimiùs etiam dicendi genus quandoque assurgunt.

Huc decentia spectat, quæ non rerum tantùm, sed etiam personarum rationem habet. Quare cogitandum, quis, quid, ad quem scribat; nec eodem vtrique sermone vtemur ad Principem, quo ad seruum. Ad amicos, domesticos, & æquales pressior erit, & remissior Epistola. Ad ignotos, ad maiores, ad Magnates ornatior erit, & vberior. Noris præterea daturus literas ad aliquem, quos adhibeas honorum titulos, pro dignitate personæ, regionumque, ac temporum vsu. Prisca ætate nondum ambitio, & assentatio

tot

tot appellationibus auxerat Vocabularium; nunc multis, splendidisque nominibus & natalia distinguimus, & gradus. Multas præterea recentior vrbanitas inuenit exprimendæ humanitatis, & obsequij testandi formulas; atque ad captandam gratiam excogitata blandimenta. Vt in his nimium esse ridendæ fuerit leuitatis, ita prorsus abhorrere à sæculi ritu inconsultæ imprudentiæ.

De magnitudine, vel paruitate Epistolæ.

CAPVT QVINTVM.

DEterminatam mensuram Epistola non habet: certum tamen est illam vtroque magnitudinis, vel paruitatis excessu fieri posse vitiosam. Si prolixitate peccet; odiosa erit: si nimia breuitate, nisi familiaritas excuset, quandam rusticitatem redolebit, vel contemptum. Quid breuiùs monosyllabo Lacedæmonum responso ad Philippum Regem? cui multa per longiores literas imperanti vnicam Syllabam *NON* rescripserunt, sed grandioribus pictam characteribus, vt iustum Epistolæ spatium impleret? (a) an

non

a *Ex Apopht, Paulli Man. l.2.*

non rigidus ille Laconismus fuit ingentis iniuriæ compendium? Licebit fortasse aliquando inter amicos ludere breuissimis Epistolijs; quale est illud Angeli Politiani *lib.* 7. *IACOBO MODESTO SVO.*

Doles, quòd non rescribam: dolere desine: iam rescribo. Vale.

Non multò longior; at multò suauior, est Epistola Tullij ad Basilium 16. *l.* 6.

Tibi gratulor: mihi gaudeo. Te amo: tua tueor. A te amari, & quid agas, quidque istic agatur, certior fieri volo. Vale.

Ecce, quàm multa paucis expediat; quod in Familiaribus fieri poterit, ac in temporis angustijs; at non vbique aut laudanda hæc parcitas, aut ferenda; cùm seruandum sit etiam in Epistolæ magnitudine Decorum. Huius autem mensuram ne versiculis, aut pagellæ marginibus definias. Illam dabit materiæ ratio, & prudentia scribentis. Omnium profectò calculis damnatur otiosa garrulitas, quæ vbique molesta, hìc maximè importuna est. Verùm castigata Epistolæ breuitas, & sincerus character non expectari, nedum exigi, ab adolescentibus debent; immò præstat quandam à primis annis affluere vbertatem, ac luxuriem, à

qua

qua detrahi multa possint, donec exactam temperiem afferat ætas maturior.

Genera, & Species Epistolarum.

CAPVT SEXTVM.

SI Epistolarum distinctionem desumere velis à materia, circa quam versantur, breuissimè illas diuides cum Lipsio in *SERIAS*, *DOCTAS*, *FAMILIARES*: Siue cum Tullio *lib.* 2. *ep.* 3. *Fam. in NEGOTIALES*, *IOCOSAS*, *SEVERAS*: breuiùs adhuc, si cum Manutio dixeris, alias *MORALES* esse, alias *NEGOTIALES*. At cùm plures earum formæ sint, omnes ad tria Genera referri solent, quæ sunt quibuscunque Orationibus communia.

Triplex ergo est Epistolarum Genus: *DEMONSTRATIVVM*, *DELIBERATIVVM*, & *IVDICIALE*.

GENVS DEMONSTRATIVVM continet laudes, ac vituperationes, & quæque vel ad solam cognitionem, vel delectationem scribuntur, vt Narrationes, Descriptiones, ac Dissertationes, *DELIBERATIVVM complectitur suasiones, ac Disuasiones*: *IVDICIALE Accusationes, ac Defensiones.*

Vndenam hæc tria Genera argumenta deducant, in secunda parte docebimus.

mus. Pro familiaribus Epistolis non valdè laborandum, ad inueniendam materiam: cum hæc semper in promptu sit, ipsum videlicet earum argumentum, sine quo prius mente concepto ad scribendum nemo accedit. Pro Serijs, & Doctis quomodo paranda sit, & amplificando materies, non est, cur hìc pluribus explicem; nisi fortè reuocare huc velim de Locis Oratorijs, ac de Amplificatione iam alibi dicta, & in Rhetoricis præceptionibus de Inuentione dicenda.

Quot, & quæ sint Epistolarum Species, non satis constat inter Artis magistros, qui complures eas esse docent, in ijsdem tamen enumerandis dissentiunt. Sed omnes indagare longum esset, ac superuacaneum; cùm sufficiat insigniores, frequentioresque nosse, atque ad hoc institutum nostrum aptiores, quales nunc subijcio ad singula genera spectantes.



Epi-

Epistolæ Generis Demonstratiui.

CAPVT SEPTIMVM.

NVNTIATORIA, seu *NARRATORIA est, qua certiorem facimus absentem de rebus gestis*, siue priuatis, siue publicis; vel ad illius, vel ad nostram, aliorumue vtilitatem, seu etiam ad voluptatem, festiuumque literarum commercium. Hic referuntur *DESCRIPTIONES* ludorum, spectaculorum, conuiuiorum &c. In rebus describendis, ac explicandis ordo seruetur, earumque virtutum vsus, quas Narrationi maximè conuenire suo loco docuimus. Nihil cognitione dignum Nuntiatoria Epistola ommittat; præsertim, cum de re grauiori agitur, quam penitus cognoscere intersit, nec tamen leuiora prosequendo ineptiat, ac legentem lasset.

Ex Epistolis Tullij Familiaribus NARRATORIAS habes l. 1. 2. 4 *l.* 4. 12. *l.* 7. 26. *lib.* 10. 30. *lib.* 15. 4. *DESCRIPTORIAM lib.* 7. 1., *& alibi alias: aliquas enim tantùm excerpere volui, non omnes colligere.*

Ex Epistolis Plinij NARRATORIAS lib. 1. 5. 12. *lib.* 2. 1. 6. 7. *lib.* 4. 11. *lib.* 7. 27. *lib.* 9. 33. 36. *DESCRIPTO-*

TORIAS lib. 2. 17. *lib.* 4. 30. *lib.* 5. 6. *lib.* 8. 8. 17. 20.

LAMENTATORIA, quæ flebilis, vel lacrymosa à Verepæo vocatur, ad Narratoriam referri potest: hac enim tristia narramus, vt se dolor per Literas egerat, vel nostras, vel amicorum calamitates, iacturas, exilia, mortes deplorando.. *Huius generis sunt Cic. Epistolæ lib.* 14.

Plinij lib. 1. 12. *lib.* 5. 5. *lib.* 8. 16. 23.

GRATVLATORIA est, qua gaudium nostrum amico testamur, ob aliquod ipsius bonum, vel quod ad ipsum pertineat; vt ob Principis gratiam, illustre coniugium, nouam Patris dignitatem, Fratris lauream, Filij natalem Gratulationem ita temperabis, vt animo potius exire videatur, quàm calamo. Ostendes maiorem te à prosperis amici rebus, quàm ex tuis, percipere voluptatem; nec deberi fortunæ, quæ illi feliciter eueniant, cuius probitati, prudentie, doctrinæ omnia debeantur. Meliora denique in dies illi exoptabis, optima quæque promerenti.

GRATVLATORIÆ sunt Epistolæ Tullij lib. 2. 8. *lib.* 3. 11. 12. *lib.* 15. 7. 8. 9.

Plinij lib. 6. 26.

Huc pertinent *GRATVLATIONES* pro publica aliqua felicitate; vt pro relata victoria, vel reddita pace. Huiusmodi sunt mutuæ Literæ, quibus in

Re-

Redemptoris Natali Christianam lætitiam augemus.

GRATIAS AGENS ad accepti beneficij, vel muneris memorem, gratumque animum significandum adhibetur. In exaggerando itaque, laudandoque beneficij versabitur, cui vel parem, si fieri possit, gratiam referendam promittes, vel illius magnitudine obrui te dices, iam tot alijs nominibus obæratum, vt iam sis impar soluendo, & videri cogaris ingratus; daturum te autem operam, vt intelligat amicus, etsi vires desint, quibus vicem rependas, non tibi deesse benè consciam mentem, quæ summa in te merita fideliter seruet. Quod si non responderit votis euentus, nec obtinuerit amicus, quæ optaueras, laudabis tamen illius diligentiam, qua se studiosissimum rerum tuarum pluribus confirmauit argumentis.

GRATIARVM ACTIONES continent Epist. Cic. lib. 3. 13. l. 10. 11. lib. 15. 11. Plinij lib. 5. 2. lib. 9. 24.

OFFICIOSA est, qua operam nostram, vel præstamus, vel offerimus amico ad ipsius, aliorumue subsidium. Hæc verò latissimè patet; omnes enim Epistolas complectitur, quibus non solum pollicemur quidquid est in nobis, sed consolando, gratulando, monendo, aliquo tandem fungimur amici officio.

Huius notæ sunt Epist. Cic. l. 5. 8. *l.* 6. 10. *Plinij lib* 4. 17.

OFFICIOSIS eas annumerauerim, quibus fausta renascentis anni exordia precamur. Tum quasi conuocatis ad consilium astris nouam amicis felicitatem ominamur; & memorando, quantum illis debeamus, quanta sint eorum merita, ætatem auream, Nestorea secula, quasi seriò exoptamus, assentatorijs huiusmodi blanditijs, ex aulæ formulario depromptis, vrbanè mentientes, quæ, si vsum excipias, lege plerunque validiorem, non pluris valent, quàm quæ

Aurea porrigitur Iani caryota Calendis (a)

IOCOSA est, quæ ingenuis, facetisque salibus, inspergitur. Nec vnius Epistolæ species iocos admittit; cùm in omnibus, præsertim Familiaribus, non tantùm locum, sed & laudem festiuitates habeant; dum inter seria, vel tristia non importunè inducantur. Tempestiuè itaque tum, moderatè adhibeantur; atque ita, vt acumine delectent, non feriant, nilque referant petulantiæ, vel obscœnitatis. At neque cum omnibus eadem vsurpetur ludendi licentia.

Iocantur Epistolæ Tullij lib. 1. 10. *l.* 7. 12. 13. 16. *l.* 9. 18. 19. 20.

Pli-

a *Martial. l.* 13. *Epigra.* 27.

Plinij lib. 1. 15. *lib.* 8. 7.

LAVDATORIA est, quæ in alicuius laudem scribitur, VITVPERATIORIA, quæ in vituperationem. Sed hæc numquam stylum nostrum solicitet, nisi, cùm salua hominum fama, licebit vitijs irasci. Repete quæ de Laudatione, ac Vituperatione diximus in tractatu de Amplificatione.

*LAVDATORIÆ sunt ep.Cic. l.*9.14. *Plinij lib.*1.10.14.16.17.22. *lib.*2.3. *l.*5. 17.*lib.*6.11.

*VITVPERATORIÆ eiusdem Plinij lib.*2.14.*lib.*4.2.7. *lib.*6.2.

DEDICATORIA, seu *NVNCVPATORIA Epistola illa est, qua nostras, aliorumue lucubrationes, vel typis edita in publicis Disputationibus Theoremata alicui dicamus.* Alexander Tassonus, vir apprimè eruditus, sed festiuioris idem ingenij, pluribus contendit, nulli dedicandos esse libros in præfatione sui operis, quod inscribitur *Varietà di pensieri*: quod quidem communi veterum, recentiorumq; consuetudini repugnat, adeò vt nulli inscriptus liber censeatur pupillus sine tutore.

Dicari opera solent, vel præstantioribus amicis, vel Doctis, aut illustribus, ac Principibus Viris; vt nobis propitiemus eorum fauorem, paginasque nostras præclarissimis auspicijs fortunemus.

mus. In texenda Dedicatoria Epistola rationes afferemus, quæ nos mouerint ad scriptionem illam tali tantoque Viro nuncupandam, eæque desumentur vel ab ipsius beneuolentia, ac humanitate, vel doctrinæ laude, vel summà dignitate, vt sui nominis merito accersere operi splendorem possit: vel ab eiusdem operis argumento; quòd si ex. gr. Poetica tractet, dicemus, credidisse nos, non ingrata fore illa Parnasi xeniola Musarum amantissimo ingenio; neque has alium sibi vindicem malle, longa consuetudine, prolixaque beneficentia obstrictas. Hinc nobis aditum ad huius laudes aperiemus, memorando gentilitios Heroes, & auitæ gloriæ monumenta, tum proprias Viri virtutes, honores, egregia munera, præclarè gesta recensendo. Sed cauendum, ne huiusmodi Epistola manifesta assentatione peccet; ne diffusa narratione solicitet omnes maiorum manes, totamque ab origine Genealogiam reuoluat; neque iam Dedicatoria sit, sed Historia. Quin illam potiùs laudauerim, quæ sensibus magis præstet, quàm verbis redundet; nec plurima dicat, sed maximè digna.

In Theorematum Nuncupatorijs impressa in eorum fronte Emblemata spectanda erunt; vt Fabulam, vel Historiam, quam referunt, in rem nostram

dedu-

deducamus, quod in Disputationum etiam Præfationibus obseruari solet.

Claudetur Epistola optatissimum Viri patrocinium exorando, nosque ac nostra cum tenui munusculo offerendo, alijsque huiusmodi obsequij formulis ad illius gratiam demerendam.

Nuncupatoriæ Epistolæ exempla non multo labore quærenda erunt, cùm statim in vestibulo cuiuslibet libri se offerant; satisque erit, si melioris notæ Scriptores præ oculis habeas.

DISPVTATORIA, quanquam à Demetrio non admittitur inter Epistolas, grauissimorum tamen Authorum vsu, ac suffragio comprobata, Quæstiones, ac Dissertationes continet, siue ad sacram, siue ad profanam eruditionem pertinentes. Huius generis plurimas habent D. Augustinus, D. Hieronymus, & Seneca. Longiusculam, sed perutilem Plinius ad Cornelium Tacitum scribit, eaque est 20. *libri primi*; in qua pluribus disserit de duplici dicendi genere, amplo, & copioso; breui, & circumscripto. Huic adde *Epist*. 17. *l*. 7., *&* 26. *l*. 9. Multas huiusmodi leges apud Iustum Lipsium, & Angelum Politianum. Hæ verò Disputationes, quanuis tractentur per Literas, non Epistolæ præceptis nituntur, sed Doctrinæ subsidijs.

Epistolæ Generis Deliberatiui.

CAPVT OCTAVVM.

H*ORTATORIA est, qua excitamus amicum ad præclaram rem aliquam suscipiendam, vel peragendam*; idque fiet exponendo ipsius rei dignitatem, ac vtilitatem, vel necessitatem, facultatem, iucunditatem. Ostendes profectura inde bona, vel si secus fiat, ventura damna. Reuocabis in memoriam exempla maiorum; communem de amici virtute expectationem, comparatam hactenus vitæ integritate, ac bene gestis laudem: proinde obsecrabis, vt egregiè cœptis insistat, vt audeat se digna, vt æqui, bonique faciat consilia sincerè amantis.

HORTATORIÆ sunt Epistolæ Cic. lib. 2. 4. *lib.* 4. 7. 9. *l.* 7. 6. *lib.* 10. 3. 5. *Plinij lib.* 1. 3. *lib.* 2. 10. *lib.* 7. 1. *lib.* 9. 14.

DEHORTATORIA contraria Hortatoriæ est; quare eadem fermè ratione tractatur, ductis à contrario argumentis; à difficultate, ab incommodis, à turpitudine rei, à qua conamur amicum deterrere.

HORTATORIÆ, ac *DEHORTATORIÆ*, finitimæ sunt, *SVASORIA*, & *DISSVASORIA*, vt vix distinguan-

tur;

tur; cùm vnum hoc discrimen intersit; quòd *SVASIO* rationibus tantùm, & consilijs agit, *HORTATIO* authoritate, ac precibus hortantis, vt notat Manutius *in Epist. 1. Cic.*

CONSOLATORIA est scripta ad mærentes doloris medela, qua vix vlla sibi sæpius vendicat pietatis, & calami officium in tam vberi malorum segete, quibus affluit vita mortalis; ideò frequentissimè consolatoribus egens vel in rerum iactura, vel in funerum luctu.

Consolandi ratio hæc erit; vt primùm nos affici vehementiùs alterius infelicitate profiteamur, hinc adducamus argumenta, quibus illius animum erigamus; exhortando, vt strenuè aduersa ferat, quod fortem, sapientemque virum decet, suæq; virtutis meminerit, quæ sola potest fortunæ iras tolerantia eludere: vt enim Tragicus cecinit, *Vires pepulit, pondusque mali, Casus animo qui tulit æquo*: immò subijciemus virtutem ipsam latere in prosperis, in tristibus emicare: vnicuique propriam calamitatem tanquam artem assignari: varios esse hominum casus; neminem malis immunem. Omnes, quandiu degunt in terris, in acie versari, vbi assiduè in dura, & aspera certandum. Ita statutum Diuinæ Sapientiæ consilio, cui nos, ac nostra committere debe-

mus; nec aliunde certiora expectari posse subsidia; cùm illius arbitrio cuncta voluantur; vtque serenitati tempestas, ita procellæ malacia succedat.

Si mærentem in luctu solabimur, memorabimus extremam eam necessitatem, quam declinare nemini datum. Nascimur enim morituri; & frustra de eo dolemus, quod communi, & inuiolabili lege sancitum est. Surdam mortem non moueri querelis, nec reuocari lacrymis vitam. Mortui quoque laudes, sed veras eas, ac proprias, ad solamen adhibebimus, commendando virtutes, quibus immortale sibi promeruit nomen, non obnoxium letho. Accedunt validiora Christianæ Philosophiæ lenimenta, quæ piorum obitum quietem esse docet, exilij terminum, aditumque beatitatis æternæ: proinde temperandum à luctu, immò potiùs illi gratulandum, qui ex huius vitæ fluctibus ad felicem adeo, securumque portum euaserit.

Lege grauissimum epistolam Sulpicij ad Ciceronem inter huius familiares 5. *libri* 4., qua eundem in filiæ Tulliolæ morte consolatur. *Cic.* 16. *lib.* 5. *libri* 6. 1., & 13.

CONSOLATORIAS Epistolas eleganti pariter, ac pio stylo conscriptas habet D. Hieronymus *tomo* 1. 3. *ad*

He-

Heliodorum 29. *ad Theodoram* 34. *ad Iulianum*. Plurima suggerent ad leniendum in tristibus dolorem Seneca in Consolationibus ad Heluiam, ad Polybium, ad Marciam: Seuerinus Boetius de Consolàtione Philosophiæ: Franciscus Petrarcha de Remedijs vtriusque Fortunæ.

COMMENDATITIA est, qua commendamus aliquem alteri. Commendatoriam alij appellant, quam vocem reijciendam esse monuit Verepæus, Tullianòque vocabulo Commendatitiam esse dicendam. Perfectam commendationem tribus ferè partibus constare docet Paulus Manutius. *In Epist. 3. lib. 1. Famil. Cic.* Vt primò amicum eum esse doceamus, qui commendatur à nobis, dignumq; commendatione nostra, ob doctrinam, virtutem, nobilitatem, aliaue in eo laudanda. Et hæc quidem commendatæ personæ laudatio huiusmodi Epistolæ pars maxima est. Secundò vt æquitatem rei, de qua scribimus, exponamus; quæ honesta esse debet, illiusque, ad quem scribimus, dignitati, facultati, ac naturæ accommodata. Tertiò vt beneficij memorem eum, quem commendamus, nosque pariter fore spondeamus. Non his tamen partibus omnibus necesse est semper commendatio-

nem constare, vt colliges ab exemplis.

Cic. Epistolæ COMMENDATITIÆ sunt lib. 1. 3. lib. 2. 13. lib. 6. 9. lib. 13. 1., & sequentes ferè omnes.

Plinij lib. 2. 9. 13. lib. 3. 2. lib. 5. 19.

PETITORIA est, qua consilium, auxilium, beneficium quærimus ab alio. Hæ sint petitionis leges: ne iusti, honestique fines transiliat, nec aliquid petat probo viro indignum. Moderata præterea sit, ac prudens; ne vel eum, ad quem confugimus, nimium grauet, aut illius vires excedat. Nostrum erit demonstrare, quàm necessarium sit illud, quod petimus, quàm vtile, honorificum, facile, reique assequendæ rationem indicare; adhibere denique preces, & gratum animum polliceri. Decorum maximè petitio seruet. Liberè à familiaribus, & æqualibus poscere licebit: maiores verecundè rogabimus; Principes supplicibus literis exorabimus.

PETITORIÆ sunt Epistolæ Tullij lib. 3. 2. lib. 5. 12. lib. 13. 8. lib. 15. 13.

Epistolæ Generis Iudicialis.

CAPVT NONVM.

ACCVSATORIA, *seu EXPOSTVLATORIA*, teste Manutio in epist. 1. Cic. cum *MONITORIA*, & *OBIVR-*

OBIVRGATORIA conuenit; nisi quòd Admonitio lenis obiurgatio est; hæc verò acrior Admonitio; vtraque in Epistolis species Accusationis est.

Vtimur Accusatoria ad redarguendam aliquam amici culpam: vt negligentiam in soluendis promissis, tarditatem, vel intermissionem literarum. Sed meminerimus accusationem istam longè distare à seueritate iudiciorum, atque à dicaci censura abhorrere. Omni proinde acerbitate, & contumelia careat; neque nimis acuat calamum, ne amantium iras excedat; vt liqueat beneuolentiæ magis, quàm indignationis esse. Placida potiùs, & ingeniosa sit, & aliqua amici laude, aliqua etiam excusatione temperetur. Quòd si quis dentata charta rem agere velit, bilemque atramento effundere, aliunde quærat nigræ succum loliginis; neminem enim ad Satyras erudio. Aculeatas literas, aceto, nigroque sale perfusas suis immiscuit Angelus Politianus lib. 12. ad Bartholomæum Scalam, qui pares ictus in Rhinocerotis nasum retorquere conatur. Ita exorta eruditione contentio acrioribus vicissim accusationibus sensim exarsit in pugnam; quod sæpius euenire videmus, vbi potior amicitia est laus ingenij, quo *qui velit cedere rarus erit.*

EX-

EXPOSTVLATORIÆ sunt Epistolæ Tullij lib.2.8.10.lib.3.6.lib.5.7.l.16.26. Plinij lib.2.2.

Accusatoriæ subijci *EXPROBRATORIA* potest, sed hæc aliquantò seuerior, vt quæ scribitur in ingratos, qui beneficijs abutuntur, vel nullam referunt gratiam. Hæc parcè adhibenda, atque ita moderanda est, vt collati beneficij ostentationem non præferat, neque nos illius pœnituisse videatur. Talis est Epist. *Cic. lib.5. 5.*

EXCVSATORIA præcedenti respondet: hac enim illa diluimus, de quibus accusamur; vel crimen à nobis, si liceat, remouendo, vel attenuando, idoneasque afferendo rei rationes, & culpam in angustias temporum, in occupationes, aliasue difficultates reijciendo. Quandòque magis laudabile fuerit, quidquid in nobis est culpæ (vbi tamen expedire prudenter videbimus) ingenuè fateri, veniamque ab amico rogare, ac maiorem inposterum promittere solertiam, quæ compenset errata, neglectiq; officij suspicionem aboleat.

EXCVSATORIÆ sunt Epistolæ Cic. lib.1.1.lib.2.16.lib.5.20 lib.11 13.

DEFENSORIA cum *EXCVSATORIA* conuenit, nisi differre ideo velis, quòd illa sit Excusatio aliorum, hæc Defensio sui. Idem de *DEPRECA-*

CA-

CATORIA dicendum, quæ demùm Excusatio est, criminis confessionem, ac extenuationem cum veniæ petitione coniungens. *DEPRECATORIA est Epistola Plinij 21. lib. 9.*

APOLOGETICAM quoque ab *EXCVSATORIA* Verepæus, non distinguit. Thesaurus eas tantum dicendas sentit Apologeticas, quibus docti viri opera sua vindicant ab eorum censuris, quos in eosdem exciuerit aut liuor, aut æmulatio Doctrinæ (a) Plures Apologeticas habet D. Hieronymus *in Epistolis tom. 2.*

Notiores, præstantioresque collegi Epistolarum formas, ad quarum aliquam cæteras, quotquot occurrent, facilè reuocabis. At neque singulis pertractandis exactiora tradidi præcepta; quòd hæc à Rhetoricæ officina petenda sint: neque suas singulis Responsiones censui subijciendas; cùm hæ tandem à missis Epistolis pendeant, à quibus paratam habent materiem. Earum tamen ordinem necessariò sequi non debere Lipsius docet. *Instit. Epist. c. 6.*, adeò vt non distinctè semper ad capita respondeamus; sed vt visum, atque hoc, illudue in mentem, aut in calamum venit: nisi fortè alicuius facti se-

a *Lib. 4. cap. 9. dell' Arte delle lettere Missiue.*

series, aut rei grauitas, quæ per partes dilucidè expedienda sit, eiusdem ordinis necessitatem afferre videatur. Denique scito, præ omnibus præceptis profuturam optimorum Scriptorum lectionem: quamobrem etiam, atque etiam hortor, vt assiduè, diligenterq; peruoluas Epistolas Tullij, & suauissimas Plinij iunioris.

Formulæ Epistolarum.

CAPVT DECIMVM.

QVi scribendas primò Literas aggrediuntur, hærere maximè circa Exordia solent; quam difficultatem vt emolliam, aliquot eorum exempla propono. Addo Responsionum, & Clausularum formulas, plerasque ex Tullio; vt habeas, quæ imiteris, &, si libet, excerpas; dum memineris, videndum esse, quid, cui loco, magis conueniat.

Formulæ Exordiorum.

Peto à te ne me putes obliuione tui rariùs ad te scribere, quàm solebam, sed aut grauitate valetudinis, qua tamen iam paululùm videor leuari, aut quòd absim ab vrbe, vt, qui ad te proficiscantur, scire non possim. *Cic. lib.6. Epist. 2.*

Non

Non sum ausus Saluio nostro nihil ad te literarum dare: nec mehercule habebam, quid scriberem; nisi te à me mirabiliter amari: de quo etiam nihil scribente me te non dubitare certò scio. *Lib.* 9. 10.

Puto te iam suppudere; cùm hæc te tertia Epistola ante oppresserit, quàm tu schedulam, aut literam. Sed non vrgeo: longiores enim expectabo, vel potiùs exigam. *Lib.*15.16.

Non scribentis diligentia, sed dictantis temeritate longum ad te silentium rumpo, offerens tibi nudam officij voluntatem. Extemporalis est Epistola, absque ordine sensuum, sine lenocinio, & compositione verborum; vt totum in illa amicum, nihil de Oratore reperias. In procinctu effusam putes, & abire cupienti ingestum viaticum. *Ex Epist. D. Hieronymi* 34. *tom.* 1. *ad Iulianum.*

Conatus persæpe sum scribere aliquid ad te vir clarissime; quo tibi meus animus, studiumque, & voluntas innotescerent. Verùm nescio qui semper ingenuus, dixerim, an rusticus, obstitit pudor; vt qui nec me tibi satis notum sciebam, & virtutis fortunæque tuæ quodam quasi fulgore deterrebar. Sed impetrauit à me tandem qualescunque has literas vel mei officij ratio, vel tuæ

hu-

humanitatis opinio. *Angeli Politiani lib.20. Ep.3.*

Inuitatio ad scribendum.

Olim nullas mihi Epistolas mittis: Nihil est, inquis, quod scribam. At hoc ipsum scribe, nihil esse quod scribas; vel solum illud vnde incipere priores solebant. *Si vales, bene est; ego valeo.* Hoc mihi sufficit; est enim maximum. Ludere me putas? seriò peto. Fac sciam, quid agas, quod sine solicitudine summa nescire non possum. *Plin. lib. 1. epist. 11. Huiusmodi est 2. lib. 2. & 17. lib. 3.*

Responsionum Exordia.

Legi tuas literas, quibus ad me scribis gratum tibi esse, quòd crebrò certior per me fias de omnibus rebus, & meam erga te beneuolentiam facilè perspicias: quorum alterum mihi, vt te plurimum diligam, fecere necesse est, si volo is esse, quem tu me esse voluisti; alterum facio libenter, vt quoniam interuallo locorum, & temporum disiuncti sumus, per literas tecum quàm sæpissime colloquar. *Cic. lib. 1. ep. 7.*

Quanquam me nomine negligentiæ suspectum tibi esse doleo, tamen non tam mihi molestum fuit accusari abs te officium meum, quàm iucundum requiri; præsertim cùm in quo accusabar, culpa vacarem; in quo autem deside-

rare

rare te significabas meas literas, præteferres perspectum mihi quidem, sed tamen dulcem, & optatum amorem tuum. *Lib.* 2. 1.

Accipio excusationem tuam, qua vsus es, cur sępius ad me literas vno exemplo dedisses; sed accipio ex ea parte, quatenus aut negligentia, aut improbitate eorum, qui Epistolas accipiant, fieri scribis, ne ad nos perferantur. Illam partem excusationis, qua te scribis orationis paupertate (sic enim appellas) iisdem verbis Epistolas sæpius mittere, nec agnosco, nec probo. *Lib.* 4. 4.

Quanquam ipsa consolatio literarum tuarum mihi gratissima est, declarat enim summam beneuolentiam coniunctam pari prudentia: tamen illum fructum ex ijs literis vel maximum cepi; quod te præclarè res humanas contemnentem, & optimè contra fortunam paratum, armatumque cognoui. *Lib.* 5. 13.

Delectauerunt me literæ tuæ, in quibus primùm amaui amorem tuum, qui te ad scribendum incitauit. *Lib.* 9. 16.

Immortales ago tibi gratias, agamq; dum viuam; nam relaturum me affirmare non possum: tantis enim tuis officijs non videor mihi respondere posse; nisi fortè, vt tu grauissimè, disertissimèque scripsisti, ita sensurus es, vt me referre gratiam putes, cùm memoria tenebo. *Lib.* 10. 11.

Quan-

Quanquam gratiarum actionem à te non desiderabam; cùm te re ipsa, atque animo scirem esse gratissimum: tamen (fatendum est enim) fuit ea mihi periucunda: sic enim vidi quasi ea, quæ oculis cernuntur, me à te amari. *Lib.* 10.19.

Variè affecerunt me literæ tuæ, nam partim lęta, partim tristia continebant. *Plin.lib.* 5.9.

Breuissimæ Responsiones.

Eadem Epistola & studere te, & non studere significat. Ænigmata loquor. Ita planè; donec distinctiùs, quid sentio enuntiem. Negat enim te studere, sed est tam polita, quæ nisi à studente non potest scribi: aut tu es super omnes beatus, si talia per desidiam, & otium perficis. Vale. *Plin.lib.* 7.13.

Contemni te putas, quòd non rescribo. Contemnerem, si rescriberem. Quos enim contemno, respondere his audeo vel occupatus; tibi nec otiosus. Vale. *Angeli Politiani lib.* 7. *vbi & perbreues alia.*

Clausulæ Epistolarum.

Hæc ad te scripsi liberiùs fretus conscientia officij mei, beneuolentiæque, quam à me certo iudicio susceptam, quoad tu voles, conseruabo. *Cic. lib.* 3.7.

Hæc igitur tibi erunt curæ, quemadmodum ostendis, meq; totum, & mea, & meos commendatos habebis. *Lib.* 3.9.

Ego

Ego quæ te velle, quæque ad te, & ad tuos pertinere arbitrabor, omnia studiosè diligenterque curabo: quæ cùm faciam beneuolentiam tuam erga me imitabor, merita non assequar. *Lib.*6 4.

Hoc tantum significandum putaui; vt potiùs amorem tibi ostenderem meum, quàm ostentarem prudentiam: interea quæ ad dignitatem tuam pertinere arbitrabor, studiosè, diligenterque curabo. *Lib.*10.3.

A me autem, cum paulum otij nacti erimus, vberiores literas expectato. Da operam, vt valeas. Hoc mihi gratius nihil facere potes. *Lib.*11.29.

Hæc tibi scripsi; quia æquum erat pro amore mutuo, non solùm omnia mea facta, dictaque, verùm etiam consilia cognoscere. *Plin. lib.*1.5.

Tullium saluta verbis nostris.

Nos Sulpicio de meliore nota commenda.

Apud amicos tu fac nomenclatorem agas, ac singulis ex me nominatim salutem dicito.

Amicos omnes, sed in primis Lentulũ nostrũ iubebis à me plurimũ saluere.

Ticinum proficiscens ad Conturbernales olim nostros salutem meo nomine perferas rogo.

Collegas à me nominatim salutabis.

Liuio, multis animi, fortunæque dotibus

tibus ornatissimo adolescenti precaberis à me salutem plurimam, & felicem studiorum successum.

Si quid ad Antonium literarum dederis, accuratissimam illi salutationem meo nomine adscribas velim.

De Calendis, Nonis, & Idibus, quibus, ex Veterum more notantur in Epistolis dies.

CAPVT VLTIMVM.

SCio quidem hæc ad Grammaticos pertinere: malui tamen seruire commodo tuo, quàm ommittere aliunde à te quærenda, quæ hic maximè veniunt in vsum.

Diuisere Veteres Mensem in *CALENDAS*, *NONAS*, & *IDVS*. De horum nominum origine varia sententia est. (a) Aliqui dictas putant Calendas à colendo; quod maximè colerent Antiqui cuiusque Mensis initia, Nonas à Nundinis, quæ his diebus celebrabantur: idus ab edendo; quòd epularum dies essent. Alij Kalendas per K scribendas censent, deriuatas à verbo Græco Kalo, quod idem sonat, ac vocare: quòd ea die Populus à Pontifice conuocari soleret: Nonas ita dictas, quòd inter

a *Isidorus de Origine nominum l. 5. c. 33.*

ter eas & Idus nouem dies numerentur: Idus ab antiquo verbo Iduare, quod significat diuidere; cùm quasi diuidant mensem in duas partes. At curiosiùs aliàs ista quærere vacabit.

Calendæ sunt prima die cuiusq; mensis: Nonæ Die quinta: Idus die decima tertia. Excipiuntur quatuor menses, Martius, Maius, Iulius, & October, qui Nonas habent die septima, Idus die decimaquinta: Quæ comprehensa carminibus faciliùs memoriæ mandabis.

Primum quenque diem Mensis dixere Calendas:
Quintus dat Nonas; Decimus dat tertius Idus.
Octobris verò, Maij, Mauortis, Iulij
Septima lux Nonas, Idus quindena reportat.

Primo igitur die Mensis dicitur *CALENDIS*; die, in quem incidunt Nonæ, *NONIS*, in quem incidunt Idus, *IDIBVS*. Die, qui antecedit Calendas, Nonas, Idus, dicitur: *pridie Calendas; pridie Nonas, pridie Idus*.

Post Calendas, hoc est post primum diem mensis vsque ad Nonas, dies denominantur à Nonis, hoc pacto. Incipe numerare à die, quem designare volueris, ad Nonas; computando tamen, & diem designandum, & ipsum Nonarum diem: tum inuentum numerum

esser

esser in Ablatiuo, addito Accusatiuo *NONAS* ex. gr. Dandæ sint literæ die secundo Ianuarij: enumera ab hoc die ad Nonas; hoc est ad diem quintum, connumerando & secundum, & quintum diem, inuenies quatuor dies esse: dices ergo *Quarto Nonas Ianuarij*. At si designare volueris secundum diem alicuius ex quatuor exceptis mensibus, qui Nonas habent die septimo; numerabis à secundo die ad septimum, tuncque dices *Sexto Nonas Martij*, vel *Maij*, *Iulij*, vel *Octobris*.

Post Nonas dies denominantur ab Idibus eadem seruata numerandi ratione. Sic die sexto Decembris dices: *Octauo Idus Decembris*; die nono Maij dices *Septimo Idus Maij*.

Post Idus dies denominantur à Calendis sequentis mensis, eodem modo supputando. Sic die decimoquarto Decembris dices: *Decimonono Calendas Ianuarij*. Die decimosexto Octobris dices: *Decimoseptimo Calendas Nouembris*.

At ne contingat error in numerando, scire debes, quot diebus singuli menses constent; quod sequentia carmina docebunt.

Iunius, Aprilis, September tumque Nouember
Ter denos numerant: reliquis superadditur vnus.

Fe-

Februus at breuior bis denis constat, & octo.

His vnum adiungit Bissextus quilibet Annus.

Aduerte igitur breuissimum omnium mensium Februarium, qui tantùm vigintiocto dies habet, Intercalari anno recurrente, vno augeri, habereque vigintinouem. Semper tamen post Idus, hoc est die decimaquarta, dicitur *Decimosexto Calendas Martij*, hinc *decimoquinto*, *decimoquarto*, *decimotertio &c.* hoc vno discrimine, quòd si fuerit annus Intercalaris, bis dicitur *Sexto Calendas Martij*; hoc est die vigesima quarta, & vigesima quinta; vnde ortum Bissexti nomen.

Vt verò scias quotus quisque mensis dies sit, denominatus à Nonis, Idibus, Calendis, hæc obserua. Si dies denominatur à Nonis, vel Idibus; vide, quo numero notetur, & quantùm is distet ab ipsis Nonis, vel Idibus, vnoque superaddito propositi diei numerum inuenies. Do exemplum. Data est Epistola *Quarto Nonas Augusti* 4. à 5. (in quem incidunt Nonæ) vno distat: huic alterum adde, 2. fient. Secundo ergo die mensis scripta fuit Epistola. Data est *Sexto Idus Septembris*, quæ cadunt in diem 13. A 6. ad 13. numerantur 7. adde vnum, erunt 8. Octauus

igitur Augusti dies designatur. Eadem ratio seruetur, si dies denominetur à Calendis sequentis mensis: at vbi superiùs vnum addideras, duo adiunges. Ex. gr. Scriptæ sunt Literæ 10. Calendas Octobris. A 10. ad 30. (tot enim diebus constat September, ad quem dies ille pertinet, quanuis denominatus à Calendis sequentis Octobris.) A 10. inquam ad 30. 20. numerantur: adijce duo, iam erunt 22. Vigesimo ergo secundo Septembris die scriptæ Literæ fuerunt.

Superest, vt aliquos dicendi modos explicem huc pertinentes. *Tertio Nonas*, *quinto Idus*, *sexto Calendas &c.* idem significat, ac tertio die ante Nonas, quinto die ante Idus, sexto die ante Calendas. Aliquando apud Tullium, & alios inuenies. *Ad quartum Nonas*, *ad decimum tertium Calendas &c.* idem est, *ac quarto Nonas*, *decimotertio Calendas*. Item Nonas, Idus, Calendas *Ianuarias*, *Februarias*, *Martias &c.* hoc est Ianuarij, Februarij, Martij &c. Inter mensium quoque nomina *Quintilem* pro Iulio, *Sextilem* pro Augusto leges.

Has breues regulas proderit memoria tenere; ne semper confugiendum sit ad tabulas Calendarij, pluribus typorum erroribus obnoxias.

IN-



INDEX RERVM,

Quæ in prima parte continentur.

non

Scr.

FINIS.

